Spicilegium explicationum Vergilianarum.

Scripsit

Professor Dr. Ameis,

Gymnasii Prorector.

Quum commentationis conscribendae officium, postquam per collegas in orbem ivit, rursus ad me delatum esset, de argumento, quod tractandum nunc quidem mihi sumerem, non diu poteram dubius haerere. Nam quum maiori cuidam operi exsequendo ita intentus essem, ut omne fere, quod a munere obeundo liberum esset, otium ad id conferrem, tempore exclusus eiusmodi debebam rem deligere, in qua explicanda, quod et a studiorum ratione non abhorreret et ad singulos modo locos enucleandos referretur, levem et tumultuariam ponere liceret operam. Recens igitur ab censura trium recentissimarum Vergilii editionum, Wagneri, Kochii, Ladewigi, a me conscripta, quam quicumque eiusmodi nugas non despiciendas esse arbitrantur brevi lecturi sunt Klotzii et Dietschii annalibus insertam, haud pauca, quae superesse mihi videbantur in Vergilii carminibus dilucidius interpretanda aut rectius constituenda, tam commoda occasione data cum intelligentibus harum rerum arbitris communicare non diu cunctatus apud animum constitui. Praeter alia multa, quae in medium ego poteram proferre, ex eo potissimum genere Vergilianos locos delegi mihi tractandos, quorum quae esset vere poetae virtus et elegantia non satis perspectum esse videretur. Plurimi enim interpretes quum animum intentum haberent aut ad totius operis singularumque partium compositionem enarrandam aut ad verborum sententiarumque vim explanandam, minus quam par erat operae ac diligentiae in ipsius poetae virtutibus, quae quidem in dictionis elegantia conspicuae essent, declarandis et proponendis mihi quidem videntur posuisse. Hoc autem dum ingenue profitendum mihi esse duxi, tantum abest, ut optimis illis hominibus, quorum nomina supra posui,

detrahere ausim
haerentem capiti cum multa laude coronam,

ut non facile quisquam me libentius agnoscat, quam egregie iidem meriti sint de eo poeta, quem pariter atque Homerum de humano genere bene meruisse recte ait Seneca in consolat. ad Polybium 7, 6. Quae quum ita sint, nihil profecto aliud in animo mihi fuisse facile est ad intelligendum, quam ut, quantum in me esset positum, aliquid saltem conferrem ad elegantissimi poetae intelligentiam inter nostrates iuvandam. Quod si hoc, quem propositum habui, fine me non excidisse aequi iudices testati erunt, iure habebo, quod non omnem a me frustra susceptum esse laborem credam, nec curabo eos homines, quos heu! nimis multos turbulentae in patria tempestates protulerunt, qui nostras literas despicientes omne tempus, dubio admodum successu, ad publicas res a se scilicet ordinandas et componendas se conferre debere existiment.

Sed longiore praefatione lectores detinere nolo; unum tantummodo addo, ab Wuestemanno meo, cuius eximiam ego humanitatem saepe expertus sum, in aliis locis explicandis me confirmatum, de aliis ita edoctum esse, ut sententiam animo antea conceptam reiicerem. De singulis igitur locis haec habeo dicenda.

Bucolicon

I, 22. In verbo depellendi Ladewigus et Kochius aperte loquuntur de Andibus, cuius rei apud poetam non aliud exstat vestigium. Neque quisquam ipsum pagum in edito loco situm fuisse testatus est. Ex Vergilii autem carminibus id modo apparet, regionem pago ipsi vicinam ex parte supra colles extendi. Itaque cautius scripsit Wagnerus, ita ut teneri foetus cogitandi sint communiter depelli ex pascuis et stabulis montanis, abiecta pagi ipsius cogitatione.

I, 35. Wagn. annotavit: „ingratae, quippe nimis vili pretio, has merces ementi.“ Ita scriptum est, quia Spohnio praeeunte Wagnerus atque Iahnius hic cogitant de „comica morositate,“ quae ab hoc loco aliena est. Nam poeta, si verborum vim expendis, nihil aliud dicit nisi hoc: „nulla mihi gratia referebatur, sed si quod deportavi frustra eram: nihil restabat in loculis.“

I, 46. Interpretes verba iam recte illustrarunt, sed tacent de sententia. Egregie autem illum respondentem induxit poeta: „pascite boves“ (= vaccas), h. e. praesenti tempore; deinde „submittite tauros“, h. e. ad futuri temporis admissuram alite tauros (voce *gehen lassen* utuntur agricolae Saxonici); ergo sententia est: „et hoc et futuro tempore vestra res pecuaria florebit“, qua maior non potuit spes iniici.

Ad I, 47. Wagn. adscripsit: „tua erunt, ut antea fuerunt“, eamque explicationem Kochius ita in nostrum sermonem convertit, quasi addita esset vox integra; atque apud Heynium Wagn. rem altius repetivit ex formula in iudiciis sollemni. Sed hoc loco alia eaque simplicior est oppositio, nimirum: „tua rura manebunt, i. e. tibi non eripientur rura, ut aliis.“ Ideoque pronomen statim repetitum est.

I, 50. Graves fetas nunc omnes interpretantur „aegras e partu,“ et laudant vs. 13. Sed poeta si id dicere voluisset, scripsisset opinor aegras, non graves, ut simul numeri versus rei descriptae accommodati essent. Nunc autem quicumque

commentarios non consuluerit, statim intelliget non praeiudicata opinione ductus gravidas fetas *(trächtige Mutterschafe)*, quo facto sententia multo gravior et fortior exsistit, si quidem ovium matres cum ipso fetu consumi pestilentiae contagio dicuntur. Atque optime convenit illud praecedentibus verbis „submittite tauros.“ Deinde verba „inter flumina nota“ sic explicantur: „ad quae, ut antea, securus venire soles, dum nos exulatum imus.“ Sed securitatis (et hilaritatis, quam de suo addidit Kochius) notio abest a verbis poetae, qui flumina nota vocat, quia in vicinia Mantuae fluunt et opposita esse cogitantur fluminibus longinquis atque ignotis, quae quaerere cogitur Meliboeus. Conferas Claudiani illud: „nec bibit ignotas mobilis hospes aquas.“ Itaque et ob illam oppositionem, quae communem dictionem flagitabat, et simul quod Mincii plura sunt deverticula, usus est poeta plurali numero, qui numerus unice conspirat cum iis, quae de usu praepositionis inter apud Heynium exposuit Wagnerus, quamquam ipse non satis recte observat „flumina de uno flumine passim dici apud Vergilium“ locis scilicet eiusmodi allatis, in quibus flumina dicuntur de aquis, quae manant in fluminibus, sicuti freta in G. I, 327. 356. cet. similiter posita vides de fluctibus aquarum.

I, 54. Miror quod Ladewigus arcte coniunxit „vicino ab limite saepes“ collato versu octavo, nec satis respexit loci concinnitatem, ex qua, quum alterum hinc verba „alta sub rupe“ addita habeat, flagitatur ut etiam prius hinc cum verbis „vicino ab limite“ arcte iungatur. Alioquin sublata est haec orationis concinnitas. Itaque assentior Iahnio atque Wagnero, qui hunc locum diligenter explanaverunt.

I, 60. Ladewigus in ordinem verborum recepit in aequore hac addita annotatione: „*Enthusiastischer Ausdruck der Dankbarkeit gegen den Octavianus: eher sollen Thiere und Völker ihre Wohnsitze mit einander vertauschen etc.; also darf es nicht* in aethere *heissen, wie in den meisten Codd. für* in aequore *steht.*“ Huic conclusioni, quae non necessario sequitur ex praemissis, plura repugnant. Primum in aequore ambigue dictum esset, quum saepe apud poetam dicatur de campo; deinde vis sententiae infringeretur, quia cervi in aequore pascentes cogitari possunt, si quidem in mari pedibus stantes potu hausto herbas litorales decerpunt. Sed poeta Octavianum insolitis laudibus ornaturus coniungit quae coniuncta cogitari omnino non possunt, veluti „in aethere cervi.“ Denique qui nimis urguet aequabilitatem oppositionis, id quod fecit Ladewigus, is minus respectum habuit ad veterum rationem dicendi, de qua verissime monuit G. Hermannus in Soph. Ai. 130 his verbis: „Virtus haec est Graecae (ex parte etiam Romanae) poesis, quod in consociandis translationibus non logicam veritatem, sed vim, quam singula ad animum movendum habent, respicit,“ atque in Zimmermanni Diurnis antiquariis a. XXXIX. p. 740 ita: „*es würde die ganze griechische (und theilweise die Römische) Poesie vernichtet werden, wenn man auf sie das moderne Gesetz gleichartiger Begriffe in den Tropen anwenden wollte.*“ Quod enim hic docetur de metaphoris et translationibus, id cadere etiam in comparationes multis exemplis demonstrari potest.

I, 66. Ladewigus secutus est Servii Vossiique sententiam. Sed quum nullusdum docuerit, vocem rapidus posse coniungi cum casu gignendi, neque quisquam Oxum etiam appellatum fuisse Oaxem monstraverit, cautissimum videtur, si quis „Cretae

Oaxem" intactum relinquit cum Iahnio atque Wagnero. Alios qui huc faciunt auctores attulit Forbiger in Geogr. antiq. vol. III. p. 1034.

I, 76: „Non ego vos posthac, viridi proiectus in antro,
Dumosa pendere procul de rupe videbo."

Ubi Wagner. annotavit: „viridi, i. e. quod viridi musco obductum." Id si intelligi voluisset poeta, potius: „muscoso stratus in antro" vel simile quid scripsisset, quum in VII, 45: „muscosi fontes." G. III, 144: „flumina, muscus ubi et viridissima gramine ripa." IV, 18: „stagna virentia musco," alia aperte commemorata sint. Vir egregius hic mentem atque oculos in uno tantum antro ita defixos habebat, ut non respiceret totius loci, quam poeta sibi finxit animo, exornationem. Nam haec ita sunt contraria, ut „pendere de rupe dumosa" contineat notionem vividi periculi, et verba „viridi proiectus in antro" indicent quietem, utrumque autem, et motus et quies, in unam imaginem arcte coalescat. Quod si quis comparaverit V, 6: „antrum silvestris raris sparsit labrusca racemis." IX, 41: „candida populus antro imminet," alios locos, is non dubitabit, quin viridi latius pateat, neque referendum sit ad solum muscum. Itaque recte vertisse putandus est Vossius: „*in umgrüneter Höhle*," cum annotatione: „*Grotten mit umranktem Eingange sind in milderen Bergländern häufig, v. 81.*"

II, 4 legimus: „incondita, rudia et temere fusa, quasi prae ardore amoris et maestitia non satis elaborata." Ita Wagnerus, cuius explicatio abhorret a poetica elegantia; et quo modo inesse potest notio temere fundendi? Notionem, quae non inest in verbis, intulit etiam Ladewigus, quum modestiae aliquam significationem subesse statuerit voci incondita. Mihi unice probatur interpretatio Servii, quam recte laudavit Iahnius, ita ut simpliciter adscribere liceat: non ornata, *schmucklos.*

II, 12. Vossii interpretatio voculae mecum abhorret a grammatica ratione, quoniam cum praepositio neque apud neque circum significat. Quod Wagnerus observat, mecum ad tempus spectare, canere enim Corydonem eo diei tempore, quo quiescentibus caeteris animalibus solae cicadae canant, id et abstergit poeticum colorem, et latet in verbis „sole sub ardenti" atque in versu octavo (ubi etiam particula non negligenda fuit), neque in unica voce mecum. Multo minus probanda videtur Burmanni explicatio, quam Iahnio praeeunte secutus est Ladewigus scribens: „*vom Schwirren der Cicaden und von meiner Stimme.*" Nam mecum non est „et me seu mea voce," et strenua oppositio particulae at neglecta manet. Sed cum praepositio significat alterius cuiusdam praesentiam, et mecum pertinere videtur ad totam sententiam. Itaque simplicissima eaque poetica ratio haec est: „quocumque tua vestigia lustrans procedo, cicadae in arbustis canentes me quocumque incedo subsequuntur, mecum sunt, a meo latere numquam discedunt." Director nostri gymnasii dilectissimus quum pro eo, quo excellit, animi candore hasce plagulas a prelo sudantes legeret et typothetarum errores corrigeret, aliam mecum amice communicavit explicationem, quae et a verborum collocatione et ab elegantia commendatur. Putat enim Haunius arcte cohaerere verba mecum raucis, ut haec sit Corydonis sententia: „cicadae aeque raucae sunt atque ego, quia mecum diu questae sunt."

II, 28. Wagn. „sordida rura, quia carent munditiae urbanae cultu," cui explicationi refragatur totius loci conformatio. Nam Corydon delicias allaturus est, quibus possit puerum allicere. Itaque apparet, arcte cohaerere tibi sordida, i. e. tibi despecta, et tibi humiles. (cf. v. 44: „sordent tibi munera nostra," et v. 73: „invenies alium, si te hic fastidit, Alexim."

II, 38. Vocem secundum interpretantur „canendi arte mihi proximum; cf. V, 48 sq." Id artificiosius est et a simplicitate alienum, quia non potest inesse in nudo vocabulo. Secundum dicit simpliciter „eum qui in meum possidentis locum succedis, sive qui me possessorem excipiet, *meinen Nachfolger*," uti in loco comparato verba „tu nunc eris alter ab illo" nihil aliud sunt nisi nostrum „*du wirst jetzt der Andere (Nächste) nach jenem sein.*" Canendi peritia tantum indicata est versu praecedenti. Adde VIII, 39 cum ipsius Wagneri annotatione. Caeterum Ladewigus in V, 49 comparat locum Horatii, qui nihil confert ad locum Vergilianum. Nam apud Horatium vis sententiae posita est in eo, quod Aiax aperte nominatur heros.

II, 49. Quum Wagnerus ubique diligenter indicaverit locos Theocriteos (id quod immerito prorsus omisit Ladewigus), adscribere hic quoque potuit Theocr. III, 23.

II, 56. Verbis „rusticus es, Corydon" adhaerere notionem stultitiae (quasi dixisset poeta „ah, stolidus Corydon"), Vossio praeeunte caeteri interpretes admonuerunt, quod ego non possum sociare neque cum indole poesis bucolicae neque cum nexu loci totius. Nam Corydon loquitur nunc quidem de miseria amoris sui, nondum de stultitia; de stultitia inde a versu 69 demum agit. Porro huius loci rationi, nisi fallor, magis convenit indicativus certas et concedet, quamquam obloquitur Iahnius. Verba quae proxime sequuntur iusto verbosius explanavit Ladewigus: satis fuit explicare, quid perditus sit et addere, duas illas sententias proverbialiter dictas esse.

II, 66. Kochius non recte intellexit verba Wagneri; nam quum aratra ex illius opinione rotis carerent, „referre" non potest reddi „*zurückziehen*" sed „*zurücktragen.*" Ladewigus acquievit in Heynii explicatione, quae priusquam probetur, monstrandum ipsi est, suspensa idem valere quod inversa apud Horatium, quum aratra suspensa interpretatus sit „*den umgekehrten Pflug.*"

III, 7. Quod h. l. annotarunt de usu pluralis numeri viris, id non puto in hunc locum quadrare. Nam viros intelligere mihi videtur Damoetas non solum se ipsum, sed etiam Aegonem, quia invectus est Menalcas in utrosque. Propterea magnificentius appellat viros, quia et se et herum defendere potest, ideoque utrumque comprehendit etiam forma sequentis verbi novimus.

III, 8. Wagneri, quem sequitur Ladewigus, haec est interpretatio: „transversa tuentibus, i. e. obliquis seu transversis oculis, adspicere stimulati scilicet libidine et invidia." Equidem puto rectius statuisse virum doctissimum, quum Heynii commentario interponeret haecce: „oculos ab ista turpitudine avertentibus." Id verum esse iudico ex duabus caussis. Primum maius est Menalcae opprobrium, si vel hirci dicuntur oculos ab ista turpitudine avertisse. Deinde hanc explicationem poscit oppositio: „sed faciles Nymphae risere," ubi contrarium quid dici indicat adversativa

particula. Nam quod loquuntur omnes interpretes de aliis diis gravioribus, qui ulturi fuissent illud sacrilegium, haec aliena a verbis poetae sententia est.

III, 10. Genus ironiae, ex quo alter de se praedicat flagitium alterius, item sumptum est ex Theocr. VIII, 43 sqq. Caeterum non recte Ladewigus Vossium secutus adscripsit: „*damals lachten sie (die Nymphen) als sie sahen, dass ich*“ cet. Quid quaeso sibi velit risus Nympharum, si quis arbustum et vites per malitiam inciderit! Non ad faciles Nymphas, quae in transcursu tantum (ob hircorum, si quid video, oppositionem) commemoratae sunt, sed ad ipsam turpitudinem particula tum referenda est. Et videre communiter dici ex acerba ironia apparet. Nam ipsum Damoetae nomen consulto reticet Menalcas; sed Damoetas, qui mos est huius generis carminum, praecedentem sententiam auget ideoque apertius indicat ipsam personam: fregisti. In eadem cum Ladewigo sententia videtur esse Wagnerus, quia ad vs. 12 explicavit: „aut tum, cum viderunt, cum fregisti“ (Ladewigus in arcu et calamis frangendis denuo instrusit cum Vossio risum Nympharum!), cui explicationi, per se iam languidae et a poesi alienae, obstat ut puto indicativus. Cf. VI, 39. Aen. III, 623 sqq. Itaque in utroque loco nihil aliud mente addendum cogitatur nisi simplicissimum verbum fuit, ergo vs. 10: „*'Ach damals war es, als man sah, dass ich*“ cet. et vs. 12: „*oder es war, als du*“ cet.

III, 33: „Est mihi namque domi pater, est iniusta noverca.“ Consentiunt omnes in hac annotatione: „pater, sc. durus; talis notio ex eo, quod sequitur, iniusta repetenda.“ Quod qui cogitatione repetit, Romanam morum disciplinam confundit cum nostra. Nam iniustus alius est apud Romanos, alius apud Christianos. Itaque talia semper explicanda sunt ex sensu eorum, qui loquentes inducuntur, quemadmodum hic Menalcas etiam patrem iniustum dicit ex sua ingenii indole et ex ea, de qua loquitur, rerum condicione. Haec notio poetae neque demenda neque ex nostrorum popularium sensibus attenuanda est. Nihil igitur observare licet nisi usum alterius verbi est pro copula et positi, de quo usu bene monuerunt et Wagner. in IV, 6. et Iahn. in VI, 61. Huius usus paullo latius patentis immemores fuerunt editores quidam etiam in Theocr. V, 38: *θρέψαι καὶ λυκάδεῖς, θρέψαι κύνας.* Deinde addendum fuit, vocem iniusta ad utrumque membrum spectare, de qua relatione adscripsit pauca Ladewigus in G. II, 473, quamquam ibi immerito Horatium praeter caeteros effert.

III, 73: „Partem aliquam, venti, divom referatis ad auris.“ Quidquid profert Wagnerus ad Servii explicationem tuendam, nihil confert ad rem: sententia ipsa intricatior et perplexior esset et a nativa simplicitate abhorrens. Nam quum primum dicit, interpretes non satis attendisse ad discrimen locutionum plane diversarum: „venti ferant et venti referant,“ respondere licet, id iam antea factum cogitari, sicuti mos est amantium, ut amoris testes faciant deos. Itaque jubet Damoetas Ventos partem aliquam rursus ferre ad aures deorum. Tum qualis sententia est: particulam istorum blandimentorum iam sufficientem fore, quae „deorum animos cumulatissima impleat voluptate“! Vix dubito, quin talis sententia prorsus aliena sit a sensu ac moribus veterum. Nam veterum dii, in iisque potissimum Iupiter amorum peritissimus, sibi ipsi comparant huius modi „cumulatissimam voluptatem,“ non opus habent hominibus quasi adiutoribus. Quos locos huc vocat Wagnerus, ii dispa-

ris generis sunt. Namque apud Sappho φαίνεταί μοι κῆνος ἴσος θεοῖσιν ἔμμεν' ὤνηρ κτλ. (p. 600 ed. Bergk.) eiusque imitatorem Catullum LI, 1 sqq. praedicatur summa felicitas, qua qui versatur in sermone amatorio ipse fruatur, neque vero fieri narratur, ut dii in audiendo colloquio amantium cumulatissima impleantur voluptate. Denique monet vir eruditissimus, nullum in verbis Vergilianis inesse perfidiae vestigium. Recte quidem verbis definitis non indicatum est signum perfidiae, sed ne ulla perfidia suboriatur, cavere vult hoc versu adiecto. Huc accedit, quod mentem Damoetae non aliter intellexit Menalcas. Nam partim incipit a verbis quid prodest, quod initium non satis attendisse videtur Wagnerus, partim opponit Galateae, quae utpote „lasciva puella" suavibus blandimentis locuta est, suum Amyntam, qui animo ipsum non spernat. Praeterea cf. VIII, 19.

III, 79: „Et longum Formose, vale, vale, inquit, Iolla." Wagneri explicatio „longum, voce in longum ducta" recte se haberet, si addidisset, hoc modo factum esse longum sive productum Vale, i. e. in quo prima syllaba non corripiatur, sed producatur, quod locus quo secundum Vale positum est admittit, dummodo non putes opus esse, ut in verbis „Vale, inquit" iungendis hiatus statuatur ideoque ultima syllaba vocis Vale tanquam correpta defendatur, quum potius, ut adsit ipsum longum Vale, repetitae vocis prima syllaba ita per totam thesin producenda sit, ut ultima in arsin sequentis pedis cadat, ubi per elisionem quantitas eius supprimitur. Longum autem sive productum est hoc Vale propter animi moerorem, quo affecti voces lamentabiles in longum ducere solemus. Cui sensui ut interpunctionem et formam magis accommodem, iam versum ita scribere malim: Et longum „Formose, Vale!" **Vale!** inquit, — Iolla! — In locis, quos Wagnerus et Ladewigus compararunt, simpliciter est *weithin*, quod tamen hoc loco absonum esset.

III, 85 sq.: „Pierides, vitulam lectori pascite vestro.
Pollio et ipse facit nova carmina: pascite taurum."

Wagnerus, cui assentitur Ladewigus, cum Vossio et Spohnio locum ita explicavit: „pascite vitulam, quam diis pro Pollionis salute sacrificem." Id si verum esset, mihi quidem nondum perspicuum est, cur vitula pascenda sit lectori; potius „vitulam pinguem iam pascite divis" vel tale quiddam exspectaretur. Facile quidem est poetam vituperare, quod Heynius fecit ita scribens: „parum scite fecisse et personam in hoc pastoris sustinuisse videri debet Maro; Pastor canit carmina et auditur eius cantus: non vero scribit carmina et legitur." Sed in eo positum est artificium, quod poeta se ipsum intulit sub pastoris persona. Deinde in qua voce lateat illud „pro Pollionis salute" ego non assequor. Tum ubi haec proprie intellexeris, invenusta imago exsistit, si Musae ipsae vitularum et taurorum pastores introducuntur, quum potius deos pastorales nominatos fuisse suspiceris. Denique ex proprio verborum intellectu non apparet, quid intersit inter vitulam et taurum. Heynius praecipit quidem: „non in alterutro horum munerum argutandum, sed res simpliciter ad amoebaei carminis naturam exigenda est, cum, quod primus posuisset, alteri amplificandum et augendum esset." Sed adesse tamen debet amplificandi et augendi caussa, quae in vulgari interpretatione desideratur. Quid iam restat his omnibus

praemissis? Nihil aliud puto, nisi ut totus locus metaphorice vel potius allegorice intelligendus sit: „Pierides, pascite vitulam lectori, efficite ut vitula, i. e. tenuis mea Musa rustica, laete crescat et bonum successum habeat in usum lectoris, h. e. ut Pollio hanc rusticam Musam in posterum quoque dignam habeat adspectu ac lectione.“ Quibus verbis respondet Menalcas: non opus est ut Pollio tantum lector sit tuorum tenuium carminum, sed „et ipse facit nova carmina,“ quae nova dicuntur, et quia opposita sunt lectioni rusticae Musae Vergilianae quae iam aderat, et simul (ut suspicari licet) quia originem traxerunt ex nova poetarum secta, cui maxime debuit Pollio famam celebratissimam; cf. G. Bernhardy. in histor. liter. Roman. ed. alt. p. 372. not. 319. Sed ne dubium sit, quin tragoediae intelligantur, statim additur simul aucta imagine praecedente: pascite taurum, i. e. facite semper Pollionis tragoedias tam praeclaras, ut tauro τῶν τραγῳδοποιῶν eoque acri et animoso dignus habeatur. Qui sequuntur versus, in eorum sententia explicanda assentior Ladewigo. Nam quod Wagnerus dicit significari eamdem quae Pollioni contigerit felicitatem, haec et tam magna et tam vulgaris optatio est, ut vix possit nexui orationis poeticae accommodari.

III, 110. Retinuit Wagnerus suam coniecturam, quamquam homo candidissimae animae iam in Heynii editione p. XVIII. libere professus est, se eam in textum intulisse, non quod verum se assecutum confideret, sed ut aliquid saltem legeretur, quod intelligi posset. Me autem, quo minus probem illam coniecturam, quattuor res impediunt, et primum quidem quod desideratur altera particula aut. Eam particulam deesse in concitatis subiectis, veluti in Propertiano illo quod comparat „Vinceris aut vincis,“ non est offensioni, sed eamdem omitti posse in huius generis praedicatis, id Wagnerus nec demonstravit, nec demonstrari posse existimo. Deinde prorsus tollitur orationis concinnitas. Nam apud Vergilium ad verbum sibi respondet: aut . . . aut, metuet . . . experietur, dulces . . . amaros. Tum aliquid momenti habet caesura primaria, ex qua versus ita procedit, ut sententiae cum numeris accurate conspirent. Denique offendo in ipsa sententia, quam recepta illa coniectura elici posse putat Wagnerus, quam sententiam pastorum, qui hic loquentes inducuntur, moribus parum convenire, imo anilem aliquam prudentiam*) prodere recte observavit Ladewigus. Iam vero cur reliquerunt omnium librorum scripturam? Quia omnes haerent in verbo metuendi. Ego secus iudico ac meam mentem explicabo. Vergilius quemadmodum multa ex vita urbana allegorice transtulit in vitam pastoriciam, atque in hoc ipso carmine supra quosdam vituperavit, sic hic idem fecisse putandus est. Incepit enim carmen a turpissimo amore (v. 8. 9.), et simili amoris turpitudine carmen finivit. Namque mihi videtur poeta his verbis acerbe tetigisse turpes illos amores, quos perstrinxit Horatius in Sat. II, 7, 56: „Metuens induceris atque altercante libidinibus tremis ossa pavore“ cet. et vs. 68: „metues, credo, doctusque cavebis. Quaeres, quando iterum paveas iterumque perire possis“ cet., qui locus lucem affundit verbis Vergilianis. Itaque semper putavi sententiam Vergilii

*) anilem dixi prudentiam, quod ea vox, Plinio usurpata in epist. V, 16, 2, optime respondere visa est Ladewigi Germanico: „*altkluger Gedanke.*“

hanc esse: „et quicumque similes, ac vos cecinistis, amores canet," id vero poetam ita efferre, ut simul perstringat corruptissimos illos Romanorum mores. Sed quia poeta castissimus a se impetrare non potest, ut more Horatii in ea re exornanda diutius immoretur, statim addit extremum huius carminis versum, quem pariter allegorice intelligendum esse cum Servio censeo. Namque ex vulgari explicatu hic versus languidus esset.

IV, 15. Quis ille sit, consulto in ambigua dubitatione reliquisse poeta videtur Ladewigo, id quod abhorret nisi fallor a simplicitate bucolica. Equidem assentior Wagnero, praeterquam quod malim verba patriis virtutibus arcte coniungere cum participio pacatum, ut indicetur foedus Brundusinum Pollione suasore et adiutore ictum.

IV, 23: „Ipsa tibi blandos fundent cunabula flores."

Wagneri explicatio: „blandos, sive colore sive odore gratos" abstersit poeticum colorem. Recte Vossius retinuit „*schmeichelnde Blumen*." Namque iam formula „fundet cunabula" indicat, flores vocari blandos, qui quasi alliciant puerum, ut ingrediatur in vitam et auream aetatem afferat. Itaque haec fere sententia est: „simulatque lucem adspexeris, non nisi iucundissima tibi obvenient."

IV, 47. Verba „concordes stabili fatorum numine" iam recte explicata video ab Ladewigo. Addita enim sunt, quia alias Parcae quoque, uti reliqui dii, interdum inter sese discordant. Hic igitur omnes ac singuli dii amice conspirare dicuntur in favore, quo puerum prosequantur.

IV, 49. Sine caussa, ut mihi videtur, se torsit Wagnerus in hoc versu explicando, quum auctori Ciris nimium tribuens observet, pluralem deûm poni pro singulari de aliquo incerto: id quod non opus est. Namque potest utrumque disiunctim cogitari, ut antea in universum dii nominentur, quum ex versu septimo nova progenies coelo demittatur alto, deinde speciatim Iupiter, dummodo epitheta cara et magnum cum iusta potestate pronuncientur. Vult enim significare poeta, uti Iupiter sit magnus pater orbis terrarum, ita puerum Pollionis fore benevolum et magnum patrem Romanorum, sic quidem ut Iovis regnum quasi incrementa capiat, ideoque eum carum esse divis. Atque omnes omnium gentium poetae in huiusmodi nexu possunt sine offensione coniungere: „*Theurer Göttersprössling, grosser Zuwachs des Jupiter.*" Propemodum similiter sonat illud nostratis poetae:

„*Freude, schöner Götterfunken,*
Tochter aus Elysium." *)

---

*) Quamquam, ut hoc in transcursu moneam, in illo Schilleri carmine inest luxurians imaginum abundantia, quae quidem prorsus abhorrens a veterum simplicitate quomodo recte coeat, ego intelligere non possum. Ita postquam Gaudium „*schöner Götterfunken*" nominavit, statim quasi per magicam artem excusa prosilit filia Elysii, id quod sine ullo epitheti similisve formulae transitu cum praecedentibus compositum non conspirat. Pergit poeta:

„*Wir betreten feuertrunken,*
Himmlische, dein Heiligthum."

Leve quidem est illud, quod pro voce „*Himmlische*" melior scriptura esset *Göttliche*, ut oratio in eodem simili versaretur cum nomine „*Götterfunken*," sed quod primarium est, quivis

IV, 52., ubi Wagner. adscripsit: „observa Indicativum in eiusmodi interrogatione.“ Verum enim vero in huius generis locis adesse non videtur interrogatio, sed potius exclamatio, ut vocula ut fere idem sit quod quam! seu quantopere! Nam imperativus adspice! nihil est nisi praemissa exhortatio animi attendendi ad ea quae sequuntur, ergo i. q. ecce! Cf. II, 66. IX, 58. Parem exclamationis vim habet ut! in G. I, 57., ubi „nonne vides? „*sieh'st du's nicht?*“ similiter praemittitur exhortandi caussa, ut attenti simus ad sequentia, quae iam per se intelligenda sunt. Haec quae modo observavi cadunt in omnes locos qui comparantur.

IV, 62. Scio quid de loco vexatissimo scripserint Wagner. et Koechly. in Diurnis antiquariis a. XLI. p. 743. Klotzius nuper defendit Quintiliani illud: „qui non risere parentes,“ sed ea lectione probata praeter insolitam structuram ego non intelligo extremum huius carminis versum. Nam puer dici non potest tantum arridendo parentes efficere, ut vel dei mensa vel deae cubili dignus habeatur, nisi sedula parentum educatio accedit, ut talis evadat, qualem fore poeta exponit. Prospera pueri et aureae aetatis incrementa per totum carmen accurate servantur; itaque ad puerum „modo natum“ in extremo carmine redeat poeta necesse est. Ego proxime accedens ad Wagneri explicationem sic iudico, ut totius loci, in quo exornando egregiam artem adhibuit poeta, sententia haec sit: „incipe risu significare, matrem a te amabiliter cognosci (60); hoc meruit de te, ut exhilares eam amabili risu et ita resarcias gravissimas curas ac sollicitudines, quas mater iam, cum te utero ferret, habuit (61).“ Nunc hac caussa allata cogitandum est a parentibus quasi exspectari, num rideat puer. Quod quum non fiat, denuo excitat poeta puerum repetitis verbis: „Incipe, parve puer!“ — Hic pausa facienda ideoque lineola ponenda est. Ad ea quae sequuntur Wagnerus breviter explicandi caussa adscripsit: „Magnum hoc: nam cui non risere parentes.“ Ego explicatius dicam. Ex oppositione iterato incipiendi poeta haec fere a legentibus intelligi voluit: „alii sequentur,“ et quidem parentes, quos oportet puero arridere. Iam quum puer neque post alteram adhortationem rideat, neque ullus puerulus qui modo natus est primis diebus ridere soleat, poeta hac rei natura eleganter ita usus est, ut orationem convertat ad parentes, ex specie quidem tantum aliud idque gravius argumentum adiiciens, quo puer ad mutuam parentum arrisionem provocandam excitetur, sed tamen ita adiiciens, ut simul tecte laudentur parentes. Nam verbis „cui

---

quaerit, quid haec verba legenti sibi cogitandum sit. Nam igne ebrius homo esse non potest, sed tantum igne ambustus. Et cur canentes sacrarium Gaudii intrant iam ebrii? Si extra sacrarium imbibere ebrietatem laetitia elatam poterant, non opus erat ut intra illud congregarentur. Neque enim de prolepsi cogitari potest, nisi forte quis hunc figurae illius abusum notaturus esset. Itaque haud dubie praestaret, si canentes venissent sobrii, et in sacrario demum inflammati fuissent laetitiae ebrietate. Talia saepe eorum, qui nostrates poetas diligentius legunt, animos in summa legendi voluptate turbant, si assuefacti sunt veterum poetarum emendatae elegantiae et sobriae simplicitati. Sed haec in transcursu, quamquam in hac quidem re Schillerus paullo emendatior est quam Goethius eiusque imitatores. Per aliam occasionem aliquot carmina utriusque poetae, ratione habita imaginum ac translationum, et inter se et cum veterum poetarum similibus argumentis comparabo, patrio sermone ut decet usus. Elegantissimi nostrorum poetarum interpretes, Hieckius Viehoffius Lehmannus, alias res huius generis recte observarunt, alias non minus observatu dignas silentio praetermiserunt.

non risere parentes, nec" etc. leniter indicavit poeta, puerum fruiturum esse bona et plena amoris parentum educatione, ut tanto honore, quantus de eo praedicatur, etiam per sedulam parentum curam dignus evasurus existimetur. Atque hac sententia aptissime carmen huius generis finitur. Ex hac igitur ratione et gravissima ac maxima cum vi facta repetitio verborum „incipe parve puer," et consociatio verborum „cui non risere parentes" cum praecedentibus in satis clara luce positae mihi videntur. Quae praeterea ad extremum versum repetiit Ladewigus de Volcano et Minerva, ea ex mea quidem mente prorsus aliena sunt. Ego in hoc versu assentiendum esse puto Wagnero.

V, 14. Quod Mopsus [cuius loco nomen Codri ex oculi aberratione intulit annotationi suae Kochius] hoc loco dicit: „modulans alterna notavi," id explicant edires: „alternis vicibus nunc versuum quemdam numerum incidi, nunc modos musicos notavi in cortice." Huic explicationi ex mea quidem sententia duo repugnant. Primum si id dicere voluisset poeta, scribendum ei fuit non modulans, sed potius modulata. Deinde quomodo fieri possit, ut simul modos musicos in cortice notent pastores Vergiliani, quum iis Alypii εἰσαγωγὴν μουσικὴν cognitam fuisse nusquam indicetur, interpretes illi non explicarunt. Mopsus dicitur ea, quae in cortice inciderit, et cecinisse (modulans), qui mos est eius generis hominum (cf. IX, 45), et notis signasse incisa carmina utpote alterna, de quorum notione cf. III, 59. VII, 19. Hic autem Mopsus ipse argumentum eorum, quae tamquam alterna notata erant, canere conatur solus. Itaque dicit et carmina (collato versu 45., ubi Menalcas illud recte carmen vocat), et experiar, quod non est, uti Vossius vult, „vox modesti hominis, sed iustum suae arti superbe statuentis pretium;"*) sed nihil aliud inest, nisi *merae* modestiae significatio. Nam periculum se facturum dicit, an ipsi contingat, ut carmina alterna ex tempore convertat in carmen perpetuum. Et id ipsi contigisse, monstrat responsum Menalcae: „tale tuum nobis carmen" etc.

V, 48. Wagnerus etiamnum tenet explicationem: „magistrum, ipsum Daphnidem." Unde hoc cognitum habet? Quod enim comparat in vs. 51 „Daphnin tuum," id spectare apparet ad carmen, quod Mopsus modo cecinit. Recte de magistro iudicasse puto Vossium atque Iahnium.

VI, 5. In verbis „deductum carmen" explicandis omnes in eo consentiunt, quod imaginem petitam esse dicunt a filis tenuibus de colo deductis, et id confirmari posse putant loco Horat. Ep. II, 1, 225: „tenui deducta poemata filo;" ubi sane quidem interpretes, in iis Orellius, comparant locum Vergilianum. At uterque locus diversissimus est. Nam apud Horatium definite additum est illud „tenui filo," et in his tantum verbis inest, quod temere inesse volunt in nudo vocabulo „deductum." Huc accedit alia eaque gravissima caussa. Carmen enim de colo deductum semper apud veteres significat carmen perpetuum, a quo usu ne recentiores quidem discedunt: contrarium certe locum non memini me umquam legisse, sed omnes loci comparati erant ut illud:

*) Ipsa Vossii verba haec sunt: „*ein bescheidenes Wort bei stolzem Bewusstsein.*"

„Und an ewig gleicher Spindel winden
Sich von selbst die Monde auf und ab.“

Ita apud Horatium „lamentantur non apparere (h. e. aegre ferunt quod non approbentur) carmina perpetua quae tenui filo texta (inter se nexa) sunt.“ Sed talis sententia minime quadrat in locum Vergilianum; quam ob rem alia via quaerenda est. Atque eam monstrat, quem Heynius et Vossius ipsi laudarunt, Macrobius VI, 4., qui auctoribus Pomponio, Afranio Cornificioque explanat, **vocem** deducere (h. e. proprie vocem submittere) esse vocem reddere teneram et tinnulam. Ergo metaphora explicanda est ex oppositione vocis sublatae sive elatae. Nam vox elata convenit carmini epico, vox deducta carmini pastoricio, ideoque Vergilius hic composuit „carmen deductum, carmen voce deducta cantatum, *ein herabgestimmtes Lied*, h. e. carmen tenue seu non altius assurgens.“ Cum hac interpretatione conspirat Quintilianus VIII, 2, 9: „illud iam non mediocriter probandum, quod hoc etiam laudari modo solet, ut proprie dictum, id est quo nihil inveniri possit significantius: ut ... Vergilius (dixit) deductum carmen, et Horatius acrem tibiam, Hannibalemque dirum;“ ubi praeterea haud scio an Quintilianus eo, quod copulavit deductum carmen et acrem tibiam, significasse quodammodo videri debeat, quid ipse iudicaverit de loco Vergiliano. Quibus ita a me expositis, non gravate accepturos arbitror lectores, si iis retulero, quid mihi hunc locum in schola interpretanti nuper acciderit. Fuit unus ex discipulis, qui deductum explicare voluit inde ductum ita ut hoc inde referendum esset ad praecedentia „pingues pascere oves,“ atque firmari putavit hanc interpretationem eo, quod pingues proleptice dictum esset: quo erat sane cur praeceptor gauderet, quamquam assensus erat cohibendus.

VI, 16. Mihi etiamnum dubium est, num tantum esse possit nunc ipsum, commode, et procul i. q. iuxta. Loci quos comparant alius rationis sunt. Itaque quotiescumque considero hunc locum, in eam suspicionem adducor, ut credam sententiam hanc esse: „non amplius conspiciebatur vinum, quod integrum hauserat: tantummodo vestigia hesternae potationis (serta et cantharus) supererant. Vocula procul indicari videtur, Silenum eo quod praeceps ruerit longe provulutum esse ab eo loco, ubi ebrius humi procubuerat et serta iacebant, nisi quis — id quod minus verisimile mihi videtur — cum Iahnio credat, serta procumbenti Sileno ita delapsa esse „ut longe proiicerentur ideoque procul iacerent.“ De particulae tantum collocatione multo audaciora in eo genere attulit Wagner. in I, 54. Aliqua excusatio paratur ex caesura, ex qua tantum ad priora, i. e. ad totam sententiam spectat. Quod Ladewigus annotavit: „*er war beim Zechen sanft eingeschlafen*,“ id num de eo, cuius venae non modo ex hesterno Baccho, sed ex solita potatione inflatae sint, commode possit cogitari, vehementer dubito. In magna profecto sum exspectatione, quomodo expeditiurus sit locum Handius, vir eruditissimus et egregie cordatus. Is enim in Tursell. vol. IV. p. 590 ablegat legentes ad volumen quintum, quod ut propediem prodeat omnes harum literarum amantes mecum in optatis habent.

VI, 31. sqq. Quod Wagnerus hic exponit de Epicuri doctrina, consentit quidem cum iis quae leguntur in aliquot libris de philosophiae historia conscriptis, sed non

verum esse apparet fontes ipsos accuratius inspicienti. Nam inane (τὸ ἄπειρον κενόν) ex doctrina Epicuri oppositum fuit corporibus, quae in illo inani vel quiete versantur vel moventur, sive ea corpora oculis cerni possunt, sive ob exiguitatem non possunt. Illud inane autem dicitur magnum (ἄπειρον), quia infinitum neque limitibus circumscriptum est, id quod cadit simul in elementa corporea, quae sive inesse sive moveri in inani Epicurus statuit. Itaque probari non potest, quod docet Wagnerus, ex Epicuri disciplina „inane ante mundi originem fuisse" et in ipso inani corporea elementa coniunctim inhaesisse. Sed quia semel in hanc opinionem inclinavit vir doctissimus, simul factum est, ut etiam in singulis verbis explicandis a vero aberraret. Nam leguntur apud eum haecce: „coacta, compulsa et per illud (inane spatium) sparsa;" deinde: „exordia, ipsae res ortae." Huius generis explicationes iam multas tetigi in libri censura. Ut in hac definitione subsistam, cogere et per aliquid spargere iam per se sunt notiones contrariae, quae numquam possunt in eadem voce coniunctae esse: neque hoc loco coniunctae sunt. Nam semina dicuntur coacta, quia inter se adhuc commixta neque discreta esse cogitantur. Post discretionem demum inaequalium elementorum prodibant exordia omnia, h. e. initia omnium rerum (cf. Lucret. V, 431), quas poeta deinceps descripsit. In iis describendis vs. 38 vocabulum altius et ob versuum concinnitatem et ob ipsam sententiam iungendum esse puto cum verbis sequentibus. Nam quae Ladewigus explicandi caussa apposuit: „*Die Erde staunt (weil sie das Gesetz der Schwerkraft, welches auch die Wolken von ihr entfernt, nicht begreift) über die Höhe, zu welcher sich die verklärte (d. h. von den frühern Schlacken gereinigte) Sonne erhoben hat,*" ea omnia produnt recentiorum hominum sapientiam, cuius ne ullum quidem verbum a poeta hic traditum est. Vergilius dicit, terras stupere non ob solis altitudinem, sed quia sol novus sit ideoque primum lucescat. Nam antea, quum crassiora principia rerum nondum in terrae formam condensata essent neque aquas discrevissent (v. 35. 36., ubi Kochius plane contraria docet, nisi forte apud eum negatio excidit), etiam sol lucere non poterat, quia nondum „suam formam sumpserat," ergo revera ne aderat quidem. Inde patere puto, quid iudicandum sit de Ladewigi observatione.

VI, 42. Ad „Caucasias aves" haec observavit Wagnerus: „Plurali, ut solet, in circumlocutione usus, unam significat aquilam; v. IV, 49." De loco laudato supra dixi; neque in hoc loco plane assentior. Mihi enim talia hausisse poetae videntur ex imaginibus, in quibus duae vel plures aquilae oculis repraesentatae erant. Similem rei condicionem attigi paucis in annotatione ad Theocr. XV, 124.

VII, 4. Wagnerus Vossium secutus hanc proposuit explicationem: „Arcades servi post deletam Corinthum in Italiam, ubi haec geruntur, venisse videntur." Ladewigus ita consentit, ut in argumento scribat: „*zwei aus Arkadien stammende Hirten.*" At talia non respicere solent boni poetae. Praeterea ex hac explicatione versus qui sequitur redundaret. Sed hic ipse versus sicuti poetica loci conformatio ostendit, Arcades metaphorice intelligendos esse, quam rem praeivit Servius. Quemadmodum enim IV, 58 „Arcadia iudice;" VII, 26 „Arcades;" VIII, 21 sqq. saepius „Maenalios versus;" X, 32 „soli cantare periti Arcades" iam ad speciem appellativi prope accedunt, ita hoc loco mere appellativa notio praevalet. Recte igitur, ut puto, A. Th. A.

Fritzschius meus, cuius sententiam per literas quaesivi, ad me rescripsit: „qui mos solet esse Arcadum, veri et germani Arcades; cf. Plaut. Poen. prol. 113: Poenus plane sum.“

VII, 7. Wagneri observatio, probata Ladewigo, haec est: „atque interdum ponitur, ubi quid praeter opinionem, exspectationem accidit.“ Verum id fortuitum est neque inest in ipsa particula atque, sed in tota verborum sententia. Itaque illa observatio pertinet etiam ad alias multas particulas. Talia velim eximantur ex scholastica institutione.

VII, 19: „alternos Musae meminisse volebant.“

Uterque editor aliis praeeuntibus consentit in hac interpretatione: „Quod poetae, quae canerent, doceri a Musis se perhibebant, canentes meminisse ea, quae quasi didicerint, dici possunt.“ At Heynius et Vossius vere senserunt, hanc esse ieiunam sententiam, quia modo dixit poeta, alternis pastores versibus contendere coepisse, ideoque bis idem recte dici non potuit. Sed neque Heynius neque Vossius meliora proposuit. Quicumque doctos commentarios non inspicit, sed legere consuevit nudos poetas, ideoque perseveranter etiam discipulos suos tali lectioni assuefieri vult, vix aliter hunc locum intelliget quam ita, ut verbum de verbo interpretetur: „Musae volebant, i. e. decernebant, meminisse, h. e. memoria servare, alternos.“ Sententia igitur *) est: „talia erunt haec carmina amoebaea, ut Musae non illo tantum temporis puncto iis delectarentur, sed in posterum memoriam eorum retinere decernerent.“ Comparare licet Theocr. VII, 93: *ἐσθλὰ, τά πᾳ καὶ Ζανὸς ἐπὶ θρόνον ἄγαγε φάμα.* In eadem mecum sententia est A. Th. A. Fritzchius.

VII, 44: „si quis pudor, *wegen eures nicht zu stillenden Hungers.*“ Ita Ladewigus, cuius annotatio quomodo conspiret cum pastis iuvencis, mihi non patet. Dicit potius poeta: „vos pastos pudeat etiamnum manere, neque procedere.“ Ex hac caussa illud „ite“ iteratum est.

VII, 70. Wagnerus, quem ut solet secutus est Kochius, explicavit hunc versum ita: „Corydon est nobis, noster est; quo nobis probari aliquem significamus. Plaut. Mil. glor. III, 3, 25: Heus noster esto!“ Improbavit igitur Vossii probatam Iahnio quoque rationem, quam ego unice veram esse puto his caussis permotus. Primum consideranda est versus caesura primaria, qua utrumque nomen disiungitur. Id impedit quominus solam nominis repetitionem adesse statuamus, ut in illo: „ah, Corydon, Corydon, quae te dementia cepit!“, in quo versu utrumque nomen per caesuram arcte cohaeret. Deinde mera nominis iteratio languida esset et iusto argumento destituta, quia ab simplice sententia finali abest rhetorica emphasis, quae alteri loco quam maxime convenit. Tum commemoro, poetam alioquin perspicuum, si id dicere voluisset, quod dicentem eum facit Wagnerus, haud dubie dilucidius locuturum fuisse, quum aut „ex illo carmen Corydon est tempore nobis“ (ut apud Martialem:

*) „Ex praemissis etiam haec sententia prodire potest: Musae volebant ut alternos memoria servarem ego seu qui arbiter erit. Itaque idem Meliboeus v. 69. dicit: Haec memini, ...(*Haun.*)“ — Hac schedula, quam accepi a candidissimo meo correctore, defraudare nolui lectores.

„Cynthia, facundi carmen iuvenile Properti“) aut „ex illo Corydon Corydon est omnia nobis“ aut simile quid facillimo negotio proposuisset. Quarto loco Wagnerus pro explorato sumpsit quod non demonstravit, nimirum „nobis est“ idem valere quod „noster est.“ Itaque loci Plautini nil probant. Denique explicatio Vossiana egregie conspirat cum loco Theocriteo. Praeter exempla, quae ad nominis usum probandum laudavit Vossius et quae repetivit Ladewigus, multa alia suppeditat Wordsworth. in Theocr. XX, 44.

VIII, 4. Recte ex mea quidem mente hunc locum explicavit Iahnius. Nam quod Wagnerus explicationis caussa addit: „exuta natura sua,“ id in verbis poetae inesse non potest, nisi requierunt transitive sumatur. Alioquin enim flumina non „suam naturam exuisse“ dicuntur, sed tantum „suos cursus mutasse, deinde requievisse,“ id quod aliud est.

VIII, 58. Legimus ab Wagnero annotatum: „velim adeo omnia longe lateque mari contegantur, in quod me praecipitare possim.“ At hoc non tamquam consilium a poeta indicatur, sed sunt verba de salute sua desperantis et nihil non exsecrantis, ut potius de Deucalionis diluvio cogitandum videatur. Caeterum de G. Hermanni, quem iusto celerius secutus est Ladewigus, nimia subtilitate, quasi poetae Alexandrini eorumque imitatores Romani in numero veterum Graecorum tragicorum habendi essent, a me dicetur alio loco. In vs. 60. scrib. Theocr. XXIII, 20. sq. et in vs. 101 addatur Theocr. XXIV, 91.

IX, 3. Wagnero, qui etiamnum retinuit quo, satis respondit Iahnius. Recte Ladewigus quod probavit, de perveniendi verbo Livium adhibens: sed in altera editione hunc usum firmabit exemplis Lucretianis, quae cum hoc loco contulit Lachmannus in Lucret. p. 367.

IX, 15. Ladewigus, Servio et Vossio praeeuntibus, observavit, malum augurium positum esse in cava quercu, unde cornix cecinerit. Sed argumenta a Vossio allata vix sufficiunt. Multo simplicior est eorum ratio, qui talia ex Graecorum more dicta esse arbitrantur, coll. G. I, 444. Aen. I, 110.

IX, 46. Per occasionem Wagnerus repetivit praeceptum, quod inde ab aliquot saeculis propagatur per commentarios. Praeceptum hoc est: „Adiectiva interdum non suo iunguntur Nomini a poetis,“ cui praecepto multi loci additi sunt. Ergo inepte loquuntur poetae, quoniam adiectiva non illi adiunxerunt Nomini, cui adiungenda erant! Sed hoc nihil aliud est, nisi veterum sermonem ad nostram loquendi consuetudinem, quae in alia omnia abit, accommodare. Num hoc verum sit, philologis decernendum relinquo: ego, qui, quae ratio scholarum magistris sequenda sit, ante oculos habeo, addo id unum, huius modi regulis, quae „fulcra claudicantium“ nominantur ab G. Hermanno, prorsus abstinendum esse in scholastica institutione. Itaque mihi paucis tantummodo monstrandum videtur, quomodo Veteres in unoquoque loco rem sibi animo informaverint. Exempla ab Wagnero allata paucis percurram. Hoc ipso loco, de quo agimus, verum docuit Ladewigus, quamqnam ipse non satis sibi cavit quum adderet: *„es ist, wie so häufig bei Dichtern, das Adiectiv auf das Substantivum regens bezogen, während es eigentlich zu dem subst. rectum gehört.“* Sic nostrates solent loqui: aliter rem cogitant qui Romano ore proferunt. Nam poeta dicere voluit

quod dixit, „antiquos ortus signorum," i. e. ortus signorum inde ab initio rerum sibi constitisse seu eosdem mansisse. Hos antiquos ortus non amplius suspicere iubetur Daphnis, sed novam originem astri Caesaris: „processit Caesaris astrum." De G. I, 52 ego dixi in censura. Sequitur G. I, 211: „usque sub extremum brumae intractabilis imbrem," ubi falsa est Wagneri observatio. Nam „sub extremae brumae imbrem" esset contradictio in adiecto, quam logici vocant, quia tempore extremae brumae non amplius imber decidit, sed omnia nivibus obruuntur et gelu concreta sunt. Sed poeta exponit, serendum esse propemodum usque ad illud tempus, quo extremus imber decidit, h. e. quamdiu nondum „bruma nives Albanis illinet agris," et quamdiu summum frigus nondum ingruit ideoque „bruma intractabilis" est. Porro in G. IV, 267: „tunsum gallae admiscere saporem" verba gallae saporem in unam notionem coalescunt, et tunsum praegnanter dicitur, i. e. tundendo paratum, ergo Germanice dixeris: *gestossenen Galläpfelsaft.* Quod deinde G. IV, 335: „Milesia vellera Nymphae carpebant, hyali saturo fucata colore" assentiente Ladewigo adscribitur: „i. e. saturata hyalino colore," id rursus ex parum subtili Germanorum ratione rem apud animum informandi cogitatum, non ex accurata Romanorum indole explicatum est. Ex Romanorum ingenio dicendum fuit: „satis multo hyali colore tincta." Similis ratio est eorum exemplorum, quae Wagnerus congessit ex Aeneide: de quibus speciatim dicam, si vir doctissimus eamdem viam ingressus erit in tertia editione. Nunc repeto tantum quod in praeceptoris munere obeundo magis in dies intellexisse mihi videor, ex illo interpretationis abusu id incommodi nasci, ut iuvenes in celeri et elegantiori veterum scriptorum lectione temere retardentur.

X, 2. In iungendo hoc versu cum eo qui proxime sequitur ego quidem facio cum Iahnio et Ladewigo. Idem valet de versu vicesimo, ubi satis miror quod Wagnerus non, reiecta explicatione quae in solutae orationis scriptore ferenda esset, secutus est Vossii rationem, quae sola decet poetam. Iisdem quos dixi interpretibus assentietur in vs. 40 „lenta sub vite," nisi qui nimia commentatorum doctrina sensum venustae simplicitatis sibi obscurari patitur.

Georgicon

I, 4. Uterque editor explicat verba: „apibus parcis, *σπανίως*, *spärlich*, quanta experientia requiratur, ut apiarium infrequens augeas." Cui explicationi duo, ut mihi videtur, repugnant. Primum de „apiario infrequenti augendo" nihil legitur in libro quarto, sed tantum exponitur, quanta experientia opus sit in apibus habendis. Deinde res tam fortuita, qualis est „apiarium infrequens factum," non convenit huic loco, in quo eiusmodi epitheton debet esse, quod proprie spectat ad apium indolem naturamque, vel quo eiusmodi aliquid apparet, in quo apium natura cernitur. Nam in orationis conformatione epitheton quodammodo respondere debet praecedenti voci habendo. Itaque interpretationem: „*sparsam*, *haushälterisch*", unice veram esse arbitror. Cf. locos Aristotelis et Plinii et Martialis, quos Martinus laudavit.

I, 25. Wagneri explicatio longius repetita est, quam ut cuiquam probetur, praesertim quum dictio „curam invisere“ apud Romanos plane aliam habitura esset notionem, quam quae huic loco conveniat. Wagnerus enim intulit ipse aliquid in hanc vocem, quod minime inest. Sed inter alios verissime Heynius: „Scilicet poeta pergere volebat, urbesne invisere et terras curare, hoc invertendo mutavit, velisne curam terrarum, quam simplicissimam rationem Vossius et Iahnius iure secuti sunt, diligenter explanavit Ladewigus.

I, 32. Qui volunt menses tardos dici „utpote multis diebus constantes,“ non considerant, ea interpretatione se abstergere poeticam virtutem et addere aliquid, quo facile careas.

I, 35: „iusta plus parte, i. e. plus quam necesse erat.“ Sed iustum et necesse diversae notiones sunt. Itaque potius dicendum est: „plus quam debuit, h. e. plus quam duodecimam zodiaci partem.“

I, 49. Ad summam copiam voce ruperunt indicatam (ubi ὑπερβολῆς nomine carere possumus, quum omnes fere gentes in eadem dictione consentiant) cf. II, 518. et III, 328., ubi pro voce ὑπερβολικῶς aptius comparabatur Hesiodeum ῥηγνύναι et nostrum „*den Hain durchschmettern*,“ veluti in Wielandi Oberon. VIII, 52, 7. Deinde ad „ruperunt, rumpere solent“ desunt haecce exempla: I, 135. 330. 375. II, 70. sq. 166. (in quo loco explicando aliena admiscent.) 426. 444. 513. III, 246. 345. sq. 417. 419. IV, 312.

I, 73. Wagnerus repetiit: „mutato sidere, alio proximi anni tempore,“ atque adeo persuasit Ladewigo. At ubi scriptum est vocabulum proximi? Num talia pro libitu intrudere licet? Nonne per istam interpretationem totus huius loci nexus aperte turbatur? Ego satis mirari non possum, quod Wagnerus etiamnum cum pervicaci quadam confidentia retinuit explicationem, quam falsam esse et per se rei agrariae peritis apparet, et Vossio praeeunte recte demonstravit C. A. Werner.*) in Diurnis antiquariis a. XXXVIII. p. 731. Iam praeivit Probus, qui in hunc locum (p. 34 ed. Keil.) annotavit: „Putant non minus esse utilem ad sationem farris agrum, ex quo alius fructus sublatus sit, quam eum qui vicibus cessat.“

I, 92: „rapidi potentia solis,“ ut Hesiodeum (Opp. 414) μένος ὀξέος ἠελίοιο.

I, 103. Omissa putida doctrina quivis statim primo obtutu, cohaerentia sententiarum permotus, interpretabitur hunc locum: „*daher prangt so sehr Mysien ohne alles Anbauen, und selbst der Gargarus bewundert seine Ernten.*“ (cf. Aen. VI, 878) tantum se iactat, i. e. gaudet tam laetis messibus, quae vox non opus erat ut aperte adderetur, quia illico sequitur: suas messes. Ex more poetico illis regionibus tribuitur vita, quam prosopopoeiam non licet pessumdare per prosaicam explicationem. Humida solstitia, quae minus bene reddidit Vossius „*regnichte Sommertage*,“ caeteri interpretantur: „aestates non nimis siccas,“ ubi paullo accuratius dicendum est: „aestates, quarum calor temperatur tempestivis pluviis, *durch Regen gemässigte Sommerhitze.*“

---

*) Cuius φίλτατον κέρα etiamnum desiderari apud Servestanos prodit cum intimo animi affectu Carolus Sintenis in amabili oratione, quam ad munus directoris auspicandum anno L. habitam foras dedit, p. 8.

I, 110: „scatebris, necessario humore.“ Ita Wagnerus, et Vossius „*mit Labsal.*“ Huius generis explicationes multas notavi in censura. Dicendum fuit: „aquis scaturientibus, *mit Gesprudel.*“ Ego in tam eleganti tamque polito poeta, qualis Vergilius est, ne unam quidem voculam aut eripi aut addi mihi patior.

I, 122. Non adducor ut credam, omnia accurate scripta esse, quae ad hunc locum leguntur in commentariis. Wagnerus verba „Iupiter ipse . . primus per artem movit agros“ explicavit: „arandi necessitatem imposuit,“ ubi certe communiter subigendi seu colendi agri necessitas arguenda fuit, ut Kochius, Vossio praeeunte qui dicit „*zwang die Menschen zur künstlichen Bestellung*,“ verba interpretatus est. Sed si haec statuitur sententia verborum, bis idem dictum est, quum modo cecinerit poeta, patrem ipsum voluisse „colendi haud facilem esse viam.“ Verum enim vero quum Iupiter ipse „primus per artem movisse agros“ dicatur, et formula „per artem“ apte referri non possit nisi ad homines, vox „primus“ autem respiciat illud, quod ex veterum opinione regno Saturni cessante cessaverit etiam agrorum libera fertilitas: ego quidem hunc locum ita explicandum esse puto: „proprie *Iupiter selbst hat zuerst die Aecker durch die (menschliche) Kunst in Bewegung gesetzt*, h. e. Iupiter ipse primus fuit qui agros coegit (cf. II, 10), ut, si artificiose colerentur, fruges proferrent.“ Primaria sententiae vis posita est in locutione „per artem.“ Ita demum illibata poesi, quae Vossio ad Ecl. II, 61. offensioni fuit, intelligo verba, quae his infra opposita sunt: „Ante Iovem . . . ipsa tellus omnia liberius nullo poscente ferebat,“ ubi liberius non est ut reddidit Vossius „*von selbst*“ vel ut volunt interpretes „non coacta, sed sponte,“ sed proprie intelligendum servato comparativo: „*zwangloser* sive *williger*,“ sc. quam inde ab Iovis tempore factum est.

I, 142. Neque formulam „latum amnem“ neque pluralem „alta“ satis considerans Wagnerus adhibuit eximiam doctrinam, ut verba „alta petens“ iungenda sequentibus esse demonstret, quamquam simplicitas, quam Vossius cum eoque Iahnius et Ladewigus sequuntur, se ipsa commendat. Ego addo, rationi Wagnerianae repugnare ipsam sententiam. Piscatores enim in pelago neque solent neque possunt cum everriculo alta petere, quia pisces, quales capiuntur linis sive everriculo, non in alto mari versantur, sed haud alte sub superficie vehuntur denso agmine. Alia ratio est fundae, quae immittitur amni. Haec omnia accurate indicavit Oppianus.

I, 173. In hoc loco explicando assentior Iahnio, praeterquam quod currus imos non solum intelligo „*untere* sive *niedrige Räder*,“ quae Vossii aliorumque sententia est, sed „imas partes aratri, quibus rotae et vomer et dentalia apposita sunt.“ Nam solae rotae mihi quidem videntur dicendae fuisse cursus imi, quia rotis non currus sed cursus fit. At verborum „altaque fagus stivaque“ explicatio, quam proposuit Wagner., tam mira tamque artificiosa est, ut nemini huc usque persuaserit, neque cuiquam sit persuasurus. In universum illud ἓν διὰ δυοῖν, quod barbare vocant hendiadyn, inertiae desidiaeque est refugium, quod iam diu erat relinquendum. Nam qui utitur hoc subsidio, nihil aliud facit nisi ut Romanas cogitationes invertat in alias, atque iuvenum lectionem temere retardet. Si scriptor aliquis ex illa

ratione revera ἓν διὰ δυοῖν exprimeret, vituperandus potius esset quam per machinam illam excusandus. Caute de illo schemate loquuntur G. Hermannus in Eur. Iph. Aul. 53. et Lobeckius in Soph. Ai. 145. Atque Handius in Turs. vol. II. p. 476 eadem temperantia adiecit: „pauca sunt exempla vera," quamquam ego ne pauca quidem exempla concedo. Nam omnes huius generis loci rectius interpretandi sunt et cum similibus recentiorum poetarum formulis comparandi. In loco Aeneidis IX, 354., qui hic additur, Wagnerus ipse veriorem viam ingressus est ideoque sibi ipse repugnat. Reliqua exempla, quae in hoc commentario leguntur, alio loco interpretabor, quum omnis res uberiorem explicationem postulet.

I, 236. Qui verba „imbribus atris" illustrasse sibi videntur adscribentes: „utpote ex atro, seu densis nubibus obducto, coelo effusis," ii reputent velim, se nihil aliud facere nisi ut poesin corrumpant in prosaicam orationem. Et quomodo explicabunt locos qualis est Aen. V, 693: „effusis imbribus atra tempestas sine more furit?" Profecto talia prorsus supervacanea sunt. Quivis enim discipulus, nisi hebete est ingenio, statim primo adspectu intelliget quid sint *schwarze* sive *finstere Regen.*

I, 269. sq. „Rivos deducere nulla religio vetuit." Omnes tres interpretes tacent, fortasse quia acquieverunt in Heynii hac explicatione: „nullus respectus deorum, nullus metus peccandi," quam Wagnerus intactam reliquit, in deterius vertit Vossius ita explicando: „religio, *die Furcht gegen den Eigensinn einer rachsüchtigen Gottheit zu handeln*" alia, quae ab hoc loco aliena sunt.*) Nam utrique explicationi repugnat veterum erga deos pietas ac reverentia, de qua quum alii tum C. G. Siebelis**) atque G. Hermannus***) locuti sunt, repugnat ipse Vergilius, quum infra vs. 338 praecipiat: „In primis venerare deos" cet. Itaque religio hoc loco nihil aliud est nisi „religio quae per deorum cultum praecipitur, *Religionsgesetz.*" Id apparet ex iis, quae proxime praecedunt: „fas et iura sinunt." Pertinet igitur vox religionis hic ad verba plus efficientia, quam per simplicem usum efficere videntur. Hic usus (vulgo praegnantiam vocant) ut alibi invenitur, ita ex eo sunt explicandi loci G. III, 102: gloria, i. e. sensus seu cupido gloriae. 533: ad donaria, i. e. donariorum loca. 537: insidias, i. e. locum et occasionem insidiarum. IV, 6: labor, i. e. materia laboris. 205: gloria, i. e. ut supra cupiditas gloriae (Ibi praeterea in tribus versibus poetae vindicandis assentior Iahnio et Ladewigo). 213: fidem (quod non accurate simplice voce *Bund* reddit Ladewigus), i. e. fidele seu concors foedus. 464: amorem, i. e maerorem amoris; quamquam hoc exemplum sicuti id genus alia prope accedunt ad illam rationem, de qua ob Homericum illud in Il. I, 65: εὐχωλῆς ἐπιμέμφεται et similes locutiones praeter caeteros diligenter exposuerunt

*) I. H. Vossii iudicia, quae quidem spectent ad res divinas (non mythologicas), in hoc quoque loco conspicua quam sint parum subtilia et Holsaticum ingeniorum sui temporis saporem referentia, iam paucis indicavi in censura ad Ecl. II, 61.

**) In Disputt. quinque p. 133. sqq. atque Addit. p. 29. sq.

***) Cfr. libellum Germanice conscriptum, in quo, quae G. Hermannus de humanitatis studiorum ambitu et vi senserit, ex ipsius disciplina ac scriptis ducta composui, p. 12 et 84.

Iahnius in annal. phil. et paed. vol. XXVII. p. 110 sq. atque Meutznerus in dissertatione „de Horat. Od. I, 28“ egregie scripta p. 19. sq. Caeterum, ut redeat oratio unde degressa est et ut aliquid in transcurrendo de re ipsa adiiciatur, in festis diebus celebrandis certe vetusto tempore videntur Campani paullo severiores fuisse quam ipsi Romani. Namque Livio teste XXIII, 7. Hannibalem ingressum Capuam urbem precabantur primores Campanorum „ne quid eo die seriae rei gereret diemque ut ipse adventu suo festum laetus ac libens celebraret.“

I, 277. Wagn. annotavit: „quintam, licet praecesserit dies **alios**; cf. Tibull. III, 2, 36.,“ quod Kochius ita reddidit: „*Auffällig ist der Wechsel des Genus in* quintam (diem), *da* dies alios *vorhergeht.*“ Sed quid offensioni est, quum dies ali*as* Latinitas respuat? Multo magis offensioni est, quod uterque interpres iis comparatis, quae Iahnius in h. l. et Dissenius in locum Tibulli adscripsit, et Zumptius dixit in Gr. §. 86., etiamnum obscure locutus est.

I, 299. Ad vocem nudus, i. e. leviter vestitus, ubi Ladewigus non debebat tacere, addendum fuit Hes. Scut. 287.

I, 322. sqq. „Saepe etiam immensum coelo venit agmen aquarum,
Et foedam glomerant tempestatem imbribus atris
Collectae ex alto nubes: ruit arduus aether“ cet.

Non debebat silere Ladewigus, quum interpretes hunc locum non recte opinor explicaverint. Nam Wagnerus adscripsit haecce: „Nubes antea dispersae glomerant, i. e. in unum coactae efficiunt foedam tempestatem imbribus, ingenti aquae vi effusa.“ Haec explicatio demonstrat, Wagnerum nondum ad mare constitisse contemplantem, quomodo tempestas cooriatur. Mihi talia nunc magis cognita sunt ex suavissimis colloquiis, anno priore per complures dies habitis cum amico Hagiopolitano, cuius vel nomen Kramarczik, licet barbare sonet, animum recreat recordantem candidae illius animae elegantisque eruditionis. Is enim ex peregrinatione sua Italica mecum amice narrando communicavit plurimas res, quarum memor fui in Vergilio rursus legendo. Wagnerus igitur extremo loco dixit: „imbribus, ingenti aquae vi effusa.“ Verum nondum de aquae vi iam effusa agitur, sed demum de tempestate cooriente. Itaque etiam in maiore editione explicationem Heynianam: „coelo venit, ruit“ debuit emendare. Nam poeta significat, agmen aquarum celeriter appropinquare coelo, nimirum inde ab extremo coeli finitore *(zieht vom Horizonte am Himmel herauf)*, ruere autem illud agmen aquarum sive vehemens tempestas, quae cooritur, infra demum dicitur in verbis: „ruit arduus aether.“ Porro supra legimus: „glomerant, i. e. in unum coactae efficiunt.“ Sed quod dicit in unum coactas esse nubes, id non inest in verbo glomerandi, verum in vocabulo collectae, quum oppositio, quam Wagnerus reperisse sibi visus est in voce „collectae,“ ut indicarentur „nubes antea dispersae,“ non conveniat rerum naturae, quae potius flagitat, ut collectis nubibus opposita cogitetur nubium absentia. Etenim solent, ubi nubes colligi in coelo incipiunt, primum in extremo orbe coelum ambiente apparere parvae quaedam nubeculae, quae quam brevi tempore magis magisque crescentes tam vehementem tempestatem contrahant, ut paullo post ruere aether videatur, nautae potissimum ex constanti usu cognitum habent. Caeterum in verbo rŭĭt imitatus

est poeta sonitum strepentem talis tempestatis. Reliqua, quae ad versuum elegantiam spectant, bene explanavit Vossius. Iam superest verbum glomerant. Quod verbum quum ubique, si metaphorice ponitur, notionem convolvendi adiunctam habeat, mihi hic videtur arcte iungendum esse cum imbribus atris, ita ut haec sit verborum sententia: „nubes ex mari collectae convolvendis imbribus atris efficiunt foedam tempestatem, *die aus dem Meere gesammelten Wolken drehen aus schwarzen Regenwassern ein grauenvolles Wetter zusammen.*"

I, 326. Ad „cava flumina" Ladewigus, permotus ut videtur Vossii falsa interpretatione „*der gehöhlete Bergstrom*," haecce adscripsit: „*insofern sie sich ihr Flussbett ausgehöhlt haben.*" At haec physica doctrina primum in prosaico scriptore, non in poeta, locum haberet, deinde non convenit ipsi vocabulo fluminum, quod hic coniunctum legitur cum fossis et ferventi aequore. Itaque cava flumina (ut ποταμοὶ κοῖλοι) simpliciter ea sunt, quae non habent aquam plenam, ut repleantur ripae, *seichte Flüsse*, ut prope accedat ad illud: „sicci ripa Tanagri" G. III, 151. Similiter cavum transferri notum est ad terras depressiores *(Hohlland, Holland)*. Pariter κοῖλος iam in Hom. Od. XXII, 385. Hoc igitur loco opposita cogitantur plena flumina (G. III, 143).

I, 374. Paullo dilucidius in usum discipulorum ita explicare iuvat: „vallibus imis est Ablativus, iungendus cum verbo fugere, h. e. grues imbrem, quum demum surgit seu cooritur, fugientes se occultant in vallibus imis."

I, 382. Quam formulam Homericam laudat Wagnerus, ea non respondet verbis Vergilianis. Itaque rectius adscribebatur illud τινάξαμενοι πτερὰ πυκνά, quia poeta dicit: „*in grossem Zuge rauschte das Heer der Raben mit dichtem Flügelschlage.*" Increpuit enim densis alis, i. e. alis crebro motis.

I, 387: „Incassum, *weil sie gleich wieder aus dem Wasser laufen, um von Neuem ins Bad zu rennen.*" Ita Ladewigus; ego potius dixerim: „temere, sine iusta caussa, i. e. quod humore non perfunduntur."

I, 415. Assentior quidem Ladewigo in refutanda Vossii Iahniique interpretatione, sed quam ipse recepit coniecturam divinius, ego probare non possum, quia duo mihi scrupuli iniiciuntur. Primum assequor, quid sit divinum ingenium, sed idem non capio, quid sit divinius ingenium; atque adeo affirmare ausim, „divinius ingenium" abhorrere ab omni Latinitate. Deinde mira et insolens esset verborum collocatio, si rerum fato etiam ad prius membrum pertineret. Omnes mihi a vero aberrasse videntur, quia pro explorato sumpserunt hanc explicationem: „prudentia maior, sc. quam in hominibus esse solet." At quis auctor fuit interpretibus, ut suam ipsi — si diis placet — personam inferrent, quum ne ulla quidem mentio hominum facta sit? Id vero nimis ieiunum esse, Vossius aliique senserunt. Iam quid statuendum? Ex mea sententia simplicissimum ideoque verum hoc est. Verba divinitus et rerum fato sibi respondent ex necessaria sententiarum concinnitate, atque poeta dicit, se non credere tempestates ab aliquot animalibus praedici, quia illis sit divinitus (= ab aliquo numine datum) ingenium (h. e. mens divina ex philosophorum doctrina, quam tangit IV, 219. sqq.), aut quia illis rerum fato (h. e. a fato, quo omnia ab initio rerum constituta sunt) prudentia maior sit, quam vulgo

animalium esse solet. Haud scio an Ladewigum fefellerit Hor. Sat. I, 4, 43 „mens divinior."

I, 418. Fere omnes coniungunt: „uvidus austris," quod quomodo conciliari possit cum verbo relaxat, mihi non patet. Itaque austris densat atque Iupiter uvidus (h. e. dominus pluviarum) arcte cohaerere arbitror. Quod Wagnerus ad versum sequentem annotavit: „et hic non coniungit, sed disiungit, ut per aut reddi possit" (de qua re nihil expositum inveni in Handii Tursellino), id discipulos facile in errorem inducit. Nam particulae copulativae eam tribuit vim, quae ex verborum sententia proficiscitur.

I, 426: „neque insidiis noctis capieris serenae." Hic insidias non eleganter interpretantur fraudem, atque Vossius „*Hinterlist*." Forcellinus et Freundius in Lexicis satis habent adiicere, vocem translate positam esse non addita explicatione; Georges atque Muehlmannus, quorum libri a discipulis plerumque evolvuntur, hunc locum prorsus silentio transmittunt. Sed poeta insidias hic dixit „fallaces species, *das Trügerische, Vorspiegelungen*," quia sententia haec est: „non decipieris, quamvis nox sperare te iubeat serenitatem."

I, 430: „At si virgineum suffuderit ore ruborem." Wagnerus: „Sic Vergilius adiicit interdum nudos substantivorum Ablativos ad illustrandas rerum imagines; ore suffuderit, ita suffuderit, ut in ore eius cernatur rubor." Ladewigus: „ore *wie* ponto *in v. 372. zu fassen*," ubi legitur: „navita ponto humida vela legit," sed recepit Wagneri observationem in II, 247. his verbis: „sensu *ist nicht wesentlich erforderlich, aber Vergil liebt es, nach der Bemerkung Wagner's, durch solche Substant. der Vorstellung mehr Sinnlichkeit und der Darstellung mehr Leben zu geben, vergl. A. III, 147. 664. IV, 46. 679.; besonders gebraucht er so die Ablat.* ore *und* manu, *s. G. I, 430. A. I. 614. II, 524. VI, 76.*" Atque in III, 439. denuo adscripsit: „ore, *s. Zumpt. §. 481. und zu G. II, 247.*" Mihi quidem haec diversis locis disposita legenti et inter se comparanti plures subortae sunt dubitationes. Primum pertinet ille usus non ad solum Vergilium, sed ad omnes omnino poetas. Deinde eius generis Ablativi ponuntur, ubi ea commemorantur, quae cum re necessario sunt coniuncta. Denique diversa, nisi fallor, interpretes confuderunt. Nam disparis generis est, quod uterque interpres huc vocat, G. II, 247., quem locum iam in censura illustrare conatus sum. Porro Ladewigus huc arcessivit exempla, in quibus adest Ablativus vel instrumenti (Aen. I, 644. II, 524. IV, 46. 679. VI, 76.) vel modi (A. III, 664.). Aptus est unicus locus A. III, 147. Itaque cautius in ea re versatur Wagnerus, non adiiciens nisi duo exempla, in quibus exstat id de quo agitur, h. e. Ablativus loci; quamquam etiam in A. VI, 187. Ablativus „arbore" necessarius fuit. Nam „ille aureus ramus" poterat quidem in conspectum venire „nemore in tanto," sed vel humi sub arboribus positus, vel foliis absconditus, vel saxis obrutus, vel alio quocumque loco. Iam vero ut omnis aliena legentium cogitatio removeatur, aperte locum indicavit poeta „arbore" Ablativo. Sed ex his omnibus nondum probatur quod probandum est, apte copulari potuisse: „suffundere ore ruborem, *Röthe untergiessen auf dem Gesichte*," quod mihi tam mire dictum atque ab Wagnero tam artificiose explicatum videtur, ut potius confugiam ad audaciorem explicandi rationem. Puto enim, hanc

compositionem illustrandam esse ex illa notionum inversione, quae apud poetas et Graecos et Latinos saepe obvia est, ita ut poeta audacter locutus esse cogitandus sit pro vulgari: „suffundere os rubore.“ Similia videmus, praeter tritissimum illud „dare classibus austros,“ in G. II, 302: „olea inserere truncos.“ 390: „pubescit vinea fetu.“ III, 140: „iuga ducere plaustris“ (ubi denuo artificiosa est Wagneri explicatio). 399: „praefigunt ora capistris“ (et alia quae affert Wagnerus in Aen. IV, 500.). IV, 115: „plantis irrigare imbres.“ 416: „odore corpus perducere.“ Videntur poetae in hoc genere audaciores fuisse, quam vulgo opinantur. Audacissimum exemplum iam exstat apud Homerum in Od. XVII, 232: „*πολλά οἱ ἀμφὶ κάρη σφέλα ἀνδρῶν ἐκ παλαμάων πλευραὶ ἀποτρίψουσι δόμον κάτα βαλλομένοιο.*“ Ubi non opus est cum Faesio advocare promptissimam illam duarum constructionum commixtionem. Etiam facile quis corrigat cum Briggsio (in Theocr. XXIV, 131) *πλευρά γ' ἀποτρίψουσι*, in quod Hoffmannus quoque incidit (in Iahnii annal. Suppl. vol. XII. p. 392); sed talia notare quam corrigere tutius erit.

I, 442. Particula que sententias disiungi, Vossio praeeunte annotarunt Wagnerus atque Ladewigus. At si hoc voluisset poeta, scripsisset „medio ve.“ Potius hic est ordo verborum: „ubi Sol in nubem conditus variaverit maculis ortum, medioque refugerit orbe,“ etc., quo utrumque a poeta simul factum describitur. Ita autem rem in ipsa coeli natura interdum coniunctam esse, diligentes naturae observatores non fugit.

I, 485 sq. „et altae per noctem resonare lupis ululantibus urbes.“ Consentiunt nunc in hac interpretatione: „et, sc. non cessarunt.“ Hanc nimis contortam explicationem legenti mihi duae subortae sunt dubitationes. Primum Wunderlichium probo dicentem, in hac sententia aut, non et postulari. Ego addo, etiam nec particulam scribi potuisse, quum ex ista interpretatione in verba poetae illata sit vis disiunctiva, quam in vocula et inesse iure negavit Bentleius, cuius rationem recte defendit Handius in Turs. vol. II. p. 536. Nam loci qui huc vocari possent, veluti G. II, 137. III, 128 alii, disparis generis sunt. Deinde ipsa sententia, ex qua urbes dicerentur non cessavisse resonare luporum ululatu, pertineret ad illam hyperbolae speciem, ex qua rem supra modum attolli monet G. Hermannus in Opusc. IV. p. 286. Itaque quum resonare non esse infinitivum historicum recte monstrasse videatur Wagnerus in Quaest. Verg. p. 520., nihil aliud restat, nisi ut resonare pro resonarunt dictum esse statuatur. Poetae enim quemadmodum in aliis personis utuntur perfectis contractis (quorum exempla congessit Lachmannus in Lucret. V. v. 396), ita quin in tertia persona pluralis numeri idem fecerint vix est quod dubites. Notae sunt formae perfectorum movere, aliae, de quibus videndus est Fabri in Liv. XXI, 25. — Caeterum Vossium de Vergilii opinione divina p. 201. sq. disputantem non moror, quandoquidem talia oblivioni tradere officium est.

I, 513. Ut mittam aliorum rationes, quae multis laborant difficultatibus, (veluti Vossii ratio probata Ladewigo, ut „addunt in spatia“ idem sit quod „addunt spatia spatiis,“ tantum in notiones temporis cadit, numquam loci), ego codicum scripturam simpliciter ita explicandam duco, ut pronomen praecedens sese ad hoc quoque verbum referatur, ergo sententia sit: „*sie fügen sich in die Räume der Renn-*

bahn hinzu, h. e. incipiunt inire cum caeteris certamen curule.“ Nam notio celeritatis, quam in hoc loco quaerunt, inest in iis demum verbis, quae proxime sequuntur. Sententia totius loci haec est: „Si semel impietati atque sceleribus quasi habenas remittis, omnia in praecipitem perniciem ruunt.“ Idque poeta quasi pictoris artificio usus per singulas partes comparationis depingit.

II, 38. Wagner.: „Taburnus, mons Samnii.“ Potius vel: Campaniae, quia in ea parte, quae ad Campaniam vergit, mons oleis nobilis erat, vel certe: Campaniae et Samnii.

II, 41. In verbis: „pelago da vela patenti“ statuunt interpretes inesse Ablativum, quod mihi secus videtur. Puto enim pelago patenti Dativum esse et locum sic explicandum: „expande mihi celeriter vela, ut eam in pelagus patens,“ i. e. (seposita totius loci metaphora, quam poeta delegit ex situ patriae suae) „cogitatio, te, Maecenas, attento animo lecturum hoc meum carmen et id probaturum esse, mihi auxilium erit in hoc libro pangendo.“ Cf. similes sententias I, 40. III, 42. IV, 2 et potissimum 117. Videtur sibi poeta nauta esse, qui in pelagus patens navigaturus est (decurre, si comparas verbum deducendi naves), sed pericula timens, (i. e. cogitatione largissimae materiae pressus), orat Maecenatem, ut tantummodo litus legat et ut maneant „in manibus terrae.“ Nam ex imperativis ades et lege consequi videtur, ut etiam ad verba „in manibus terrae“ idem imperativus adeste sive adsint mente adiectus cogitetur. Hac una re excepta reliquam metaphoram egregie explanat Ladewigus.

II, 71. Fagus singularem esse iudicabit qui simplicia praefert artificiosis atque contortis.

II, 97. De Aminaeis vitibus Iahnius veriora annotavit, quam Wagnerus atque Ladewigus. Iidem diversa compararunt in vs. 110., ubi fluminibus et montibus Dativos esse poetis usitatos dubitari non potest. Alia ratio est accedente praepositione.

II, 135. De hoc loco, cui explicando Martinus accurate expressam imaginem addidit, ego dixi in censura.

II, 163. „Iulia qua ponto longe sonat unda refuso.“ Hunc locum iusto artificiosius ita explicat Wagnerus: „longe refuso, longe reducto, qui a cursu suo aversus in lacum Lucrinum immittitur sinumque ac portum efficit, ut vallem dicimus reductam.“ Pariter Ladewigus. At uterque primum ex arbitrio infert notionem avertendi et cogendi, quae apud poetam non exstat. Nam is tantummodo in versu praecedenti indignatum aequor dicit, ubi cf. Aen. VIII, 728. Deinde uterque iunxit longe refuso, cui copulationi obstat ordo verborum, qui flagitat ut longe sonat arcte iungantur. Postremo exempla quae comparantur dissimilia sunt. Simplicissima ratio mihi videtur haec esse: re in compositis indicat rei cuiusdam sive actionis iteratas vices, ideoque pontus refusus est fere idem quod „pontus fundi solitus;“ ergo totus versus significat: „*wo die Iulische Welle weithin ertönt von dem immer hineinstürzenden Meere.*“

II, 181. In voce „vivacis olivae“ explicanda omnes uno consensu tantum commemorant, olivam Plinio teste „annis ducentis durare.“ At aliae arbores durant

per longius tempus; cf. infra vs. 295. Hanc ob rem poeta epitheto „vivacis“ non tam temporis diuturnitatem, quam illud, quod ipse supra vs. 31. narravit, respexisse putandus est.

II, 187. Unice verum puto dispicere, et quum praecedant verba „cava montis convalle, *in einem tiefgelegenem Bergthale überschauen*,“ et quum despicere (teste Lachmanno in Lucret. p. 236) cum Accusativo non coniungatur nisi in significatione contemptus.

II, 275. Ego cum Ascensio iungenda esse statuo verba segnior ubere, id quod etiam verborum collocatio suadet. Tum sententia est: „si densa serta sunt, Bacchus non segnior est in ubertate.“ Cf. II, 185: „fertilis ubere campus.“

II, 277: „Non multum differunt h. l. inter se limes et via.“ Ita scribere non debuit Wagnerus, quia via est *Gang* et sectus limes nostrum *Quergang*, ergo prorsus contraria sunt, quatenus unum alterum dissecat.

II, 285. Immerito vituperavit poetam Ladewigus verbis perperam intellectis. Nam illud „inanem“ ex poetarum more est fere idem quod inani ratione. Itaque inanem dicit poeta animum, quod prospectu soli oculi pascuntur, nullus inde redundat fructus in animum.

II, 291. Hic „ad oras aetherias“ collatis aliis locis aptius esse iudicat Lachmannus in Lucr. III, 405., quod probabunt, qui talia esse per solam mentem diiudicanda censeant. Sed qui eius elegantiae iudicio utuntur, quae sentiri magis quam praeceptis tradi potest, tuebuntur mecum codicum scripturam, quae, nisi omnia me fallunt, poetae manum praestat.

II, 351. legimus hanc observationem: „atque, i. e. et qui, hinc i. q. aut.“ At id discipulos in errores inducit. Veriora exposuit Handius in Turs. I. p. 461. n. 3. Nam poeta hoc loco utrumque pariter ad usum vocatum ita composuit, ut agricolae in eiusdem agri altera parte „saxo,“ in altera parte „pondere ingentis testae urguere“ cogitandi sint.

II, 365. Dissentio a Ladewigo, qui Vossium secutus est. Nam tollitur ab iis oppositio, quam ipsa pronomen flagitat, et refragatur particula nondum, quia in teneris frondibus de iusta vite cogitari non potest. Itaque assentior Wagnero. Nam totus versus referendus est ad vs. 362., ergo „ipsa prima aetas,“ quae dicitur de primo frondium germine, et frondes definite iterantur.

II, 375. In Heynii editione Wagnerus addere potuit, ante verbum pascuntur non poni copulativam particulam, quia haec sententia annexa est praecedenti per chiasmum.

II, 392. Repetiit Wagnerus vulgarem explicationem: „caput honestum, i. e. pulchrum,“ quam attenuatam notionem Lexicorum conditores, interpretibus temere fidem habentes, Ruhnkenium etiam adstipulatorem nacti, in suos libros transscripserunt. At honestum et pulchrum seu formosum ubique diversae notiones sunt. Hoc loco poeta ipse in versu sequenti „rite suum Baccho dicemus honorem“ satis indicavit, quid intelligi velit. Est enim caput honestum i. q. honoratum, ergo Bacchus ab illis quoque honorandus statim inducitur. Caeterum cui usui fuerint

oscilla de alta pino suspensa (id quod omittunt interpretes), suo more exposuit Boettigerus in Script. minor. vol. III. p. 405. sqq.

II, 421. In Wagneri commentario legimus: „rastros tenaces, i. e. assiduos, assiduum rastrorum usum; ut ira, morbus tenax dicitur.“ Id iam per se veri est dissimile, quia diversas notiones commiscet turbatque poeticam orationem. Poeta enim quemadmodum commemorat „procurvam falcem,“ supra in vs. 406. „curvum dentem,“ alia, ergo ubique ex more poetico epitheta posuit, quae ad ipsam instrumentorum naturam et formam, non ad actionem, pertinent, ita hoc loco idem fecisse statuendus est. Huc accedit, quod appellatio „assidui usus“ hic languida esset neque quidquam ad poeticam virtutem efficiens. Denique rastri tenaces oppositi sunt versis bidentibus, quibus glaeba aeternum frangenda est (v. 400), illa igitur explicatione omnis oppositio tollitur. Unde apparet, rastros tenaces dici, qui in terram firmiter intrent glaebasque teneant.

II, 424. Tenax est explicationis suae Wagnerus, diversa confundens et quae longius repetita sunt adscribens. Statuit enim, cum praepositionem habere vim quamdam condicionalem, quae qualis sit ac debeat esse, diluxide exposuit Handius in Turs. vol. II. p. 145. sq., sed eam rationem minime convenire huic de quo agimus loco non est quod fusius demonstretur. Suo iure Handius quoque p. 160. Heynii explicationem probavit.

II, 428. In doctrina promenda sibi placent editores, ut que particulam firment: ego in huius generis locis simplicissimam rationem sequendam esse puto hancce: „indiga, sc. sunt.“

II, 437. Verborum concertatio inest in iis, quae Ladewigus de verbo undandi adscripsit. Nam nihil potest undare, nisi adest mobilis multitudo, ergo implicite abscondita latet etiam notio mobilis copiae.

II, 457. In Ladewigi altera editione velim addatur haecce interrogatio: „in qua re Ovidius dissentit a Vergilio?“

II, 461. Heynio, Vossio aliis praeeuntibus omnes interpretantur: „foribus vomit, i. e. per fores,“ id quod primum quidem quomodo coeat cum verborum collocatione poetica, ego non assequor. Deinde ex qua ratione Ablativi foribus superbis atque totis aedibus eadem structura verbi vomit contineri possint, mihi non patet. Itaque alia interpretatio ineunda mihi videtur. Heynius addit: „Vix placet domus alta foribus.“ Recte quidem, si ita scriptum esset, sed neglexit primariam vocem superbis. Cur vero illud quod poeta aperte dicit et nos dicimus: „*ein hoher Palast mit stolzen Pforten*“ displicere voluerint, nemo explicavit.

II, 467: „Nescia fallere vita, a dolis et fallaciis libera“ iusto fortior explicatio est, quum qui malum quoddam nesciat, nondum dici possit ab isto malo liber esse. Etiam fallere lenius vocabulum est, quam ut dolos et fallacias complectatur. Ladewigus vel cupiditates vehementes a Wunderlichio sumptas in vocabulum intulit. Satis fuit interpretari: „innocens vita, quae nondum didicit fallere,“ quia, ut ipsius poetae suam mentem in vs. 473. explicantis dictione utar, adhuc „exiguo adsueta“ est.

II, 473. Mirum artificium, in quo inde ab Servio consentiunt, hoc est: „sacra

deum, sc. caste ibi coluntur; quam notionem repetes ex iis, quae subiiciuntur; sanctique patres, i. e. ibi patres sancte ac pie coluntur." Ladewigus praeterea adscripsit exempla, quae longius repetita atque diversa sunt. Verum enim vero ex qua grammaticae ratione ellipsis verborum caste ibi coluntur extrinsecus advocata statui potest? Qua sana et sobria ratione in vocabulo sancti sic posito tale quid inesse evinci potest? Hoc si verum esset, ex omnibus liceret omnia fieri. Ego semper putavi, ubi quis hos versus legens vel tetigerit, eum statim intelligere, etiam ad verba „sacra deum sanctique patres" pertinere quod proxime praecedit verbum non absunt, h. e. adsunt cum emphasi, ut sententia loci haec sit: „*dort gibt es noch heilige Feste der Götter und fromm verehrte Väter.*"

II, 484. Annotationes adscriptae partim supervacaneae sunt, veluti quod Ladewigus de mortuorum umbris sanguinis bibendi avidis petitum ex Odyssea huc traxit, partim non satisfaciunt, veluti illud Wagneri Ladewigique: „frigidior sanguis putabatur hebetiora et tardiora reddere ingenia." Nam deest explanatio sententiae, quam hanc esse statuit Vossius*): „Si non eruditionis subtilitate possum, rustica tamen simplicitate mihi licet hominum in magna celebritate viventium et cupiditates et perversas opiniones effugere." At horum nihil apud poetam dictum est. Nam ex sententiarum cohaerentia, qualis exstat apud Vergilium, sibi respondent primum (vs. 475) et sin (vs. 483). Ab initio dicit poeta, se cognoscere naturam optare; tum pergit: „Sed etiamsi ob hebes ingenium penetralia naturae perscrutari non possim, tamen pulchritudine eius delectabor eamque amabo inglorius," quod non est uti Vossius**) vult: „sapientiae laudem non affectans; nam eum non id in votis habere, ut aut ex reipublicae administrandae peritia aut ex rerum in bello praeclare gestarum fama gloriam assequatur, iam ex iis quae praecedunt satis apparet," — caeteri editores tacent — sed simpliciter: „non appetens eam laudem, quae ex rerum naturae investigatione in hominem redundat."

II, 486. sq. Ladewigus annotavit: „utinam essem ad Thessaliae campos Spercheios," unde non perspicua est structura; ideoque annotandum fuit, poetam valde commoto animo breviter ita loqui, ut verbo eam (vel ibi sim) in celeri cogitatione non posito simpliciter exclamet: „o illuc, ubi sunt campi." Similis orationis color inest in Horatiano (Ep. I, 14, 8): „istuc mens animusque fert." Et Goethii illud: „*Kennst du das Land*" etc. cuique redit in memoriam.

II, 496. Quomodo ex putida doctrina inferre possint Phraatem et Tiridatem, qui non erant fratres, ego non capio. Si quis dicit „discordiam agitare infidos fratres," quid simplicitati convenientius est quam ut cogitetur in se ipsos, ergo

*) Germanica Vossii verba haec sunt: „*Kann ich nicht durch erhabene Weisheit, so will ich wenigstens durch ländliche Einfalt mich den Vorurtheilen und Leidenschaften der grossen Welt entziehen.*"

**) Hic quoque iuvat, ne sententia obscura sit, genuina Vossii verba apponere, scilicet haec: „*ohne den Ruhm des Weltweisen; dass er nicht als Staatsmann oder Krieger zu glänzen strebe, liegt schon in dem ersten Wunsche.*"

ut bella civilia Romanorum intelligantur? Hanc sententiam flagitat oppositio, quae perspicua est in toto hoc loco. Nam oppositae sunt res quae sub adspectum cadunt ipsis rerum notionibus. Ita populi fasces et purpura regum, discordia fratrum et descendens Dacus ab Histro, res Romanae et peritura regna. Quod postremo loco positum est, explicatur quidem ab omnibus ita: „haec in unam notionem coniungenda: bella Romanorum cum exteris gesta, his exitiosa.“ Sed ego in elegantissimo poeta ne ullum quidem vocabulum supervacaneum esse arbitror, ideoque numquam coniungo quae disiunctim scripta sunt. Itaque hic sic iudico. Poeta postquam oppositionem illam per duo exempla speciatim tractavit, nunc eamdem rem communiter ita elocutus est, ut intelligi velit prudentiam, quae aut ad res civitatis ordinandas et componendas spectat, aut quae cernitur in commercio cum aliis populis habendo: qualem quidem prudentiam nostrates ex hodierna loquendi consuetudine dicunt „*die innere und äussere Politik.*“ Ad idem redit poeta vs. 502. sq.

II, 501. Interpretatio, quam semel excogitatam omnes retinuerunt, haec est: „ferrea iura, i. e. rigida, quae nullo modo flecti, deliniri possunt.“ Sed quia proxime sequuntur insanum forum et populi tabularia, ergo notiones sensibus obnoxiae, hic quoque mihi simplicius videtur intelligere leges aeri incisas, coll. Ovid. Met. I, 91: „nec verba minantia fixo aere ligabantur.“

II, 504. Verba: „penetrant aulas et limina regum“ verissime interpretatur Ladewigus, quamquam non satis eleganti dictione usus est, quum dicat de iis, qui ad famulitium aulicum sese abiiciunt*): quod abhorret a poetae ingenio. Vituperat enim idem, quod biblica dictione ex duobus locis (Ies. Sirach. 7, 4. Matth. 11, 8) petita reddere licet: „*sie dringen sich in der Könige Häuser.*“ At cogitationi eorum, qui regna eversuri sunt (quae sententia est Wagneri), apte conveniunt quidem verba „ruunt in ferrum,“ sed minime conveniunt aulae et limina, praesertim quum sine copula praecedentibus annexa sint. — Si in vs. 505 de certa quadam persona cogitandum esset, ego mallem de Catilina cogitare, quam quod Vossius cum eoque alii volunt de Antonio: at poeta non definite locutus est.

II, 531. Fortior exsistit sententia, si vocula scilicet (scire licet, h. e. ecce, quod attentionem legentium excitat ad id quod dicendum est) ad sequentia refertur, quod et propterea commendari videtur, quia ad nomen Romae aliud quiddam versu sequenti adiicitur.

II, 541. Omnes recentiores interpretes uno consensu dicunt, metaphoram petitam esse a circo, et comparant I, 512. Haec legenti mihi tria semper offensioni fuerunt. Primum non intelligo, quid sibi velit locus comparatus: nam alius est nexus libri primi extremi, alius huius loci. Deinde velim afferatur vel unicus locus boni scriptoris, in quo circus „immensum spatiis aequor“ nominetur. Aliud est ubi „maxima spatia“ (G. III, 202) memorata sunt. Neque moror elegantiam illam, quam temere aucupari in verbis sibi videntur loco oratorio adscripto, qui disparis

*) Ne latino sermone sententiam obscurasse videar, ipsa Ladewigi verba apponam, quae sunt: „*sich zum Schranzen auswärtiger Fürsten herabzuwürdigen.*“

generis est; nam sententia eadem manet. Ego quidem non possum politissimo poetae imputare tam ingentem superlationem atque traiectionem. Denique me offendit sententia ipsa. Si quis enim circi spatia confecisse diceretur, nihil aliud videtur significari posse, nisi ut ille vel victoriam reportaverit cum magna virium intentione vel post multos labores redierit eo unde degressus sit. Sed quomodo sententia, ex qua „ad finem operis pervenisse" poeta dicatur, in tali metaphora insit, ego nondum perspicio. Ne multa: mihi videtur imago sumpta esse a peregrinante, qui longinquum iter confecit et sub vesperam equis demit iugum. Ita poeta non cum superba gloria, qualis inesset in circi metaphora, sed iusta ratione simul indicavit, quanta studia et literarum et vitae sibi opus fuerint, ut hunc librum componeret. Caeterum iam Homerus in iisdem coloribus eidem rei inducendis ex parte praeivit; cf. Od. III, 486. 494. sq. XIII, 83. Iliad. XV, 80 sq.

III, 24. Interpretes cogitant omnes tantummodo de scaena versili, quae ad latera proscaenii fiebat in periactis: quae explicatio quomodo conciliari possit cum verbo „discedat," sive vulgarem (ut dis sit in diversas partes, *aus einander*), sive Iahnii (in G. II, 8) rationem sequaris, mihi non perspicuum est. Itaque ego facio vel cum G. Hermanno, qui hic de scaena ductili sive eccyclemate agi statuit in Opusc. VI, 2. p. 166., vel — id quod verius videtur — cum Servio, qui poetam „perite utrumque" tetigisse (i. e. scaenam et versilem et ductilem) in hoc loco annotavit.

III, 43. Etsi armenta et greges intelliguntur, tamen verba „vocat ingenti clamore Cithaeron" scribentis animo obversatae esse videntur fabulae et Actaeonis et Baccharum. Nam utrique fabulae immixta sunt animalia atque armenta gregesque. Itaque redolet hic locus saporem exquisitae Alexandrinorum doctrinae.

III, 60. Mirum est, quod Wagnerus et Ladewigus proferre potuerunt hanc interpretationem: „Lucinam, i. e. coitum; cf. I, 295." (quem locum iam tetigi in censura). Id si verum esset, poeta bis idem dixisset, quia notio coitus iam inest in iustis hymenaeis. Sed Lucina significat iustum partum. Pariter IV, 340. Haud scio an loci, quales Homerici sunt *ἅμα τράφεν ἠδ' ἐγένοντο* vel *γαμέοντί τε γιγνομένῳ τε* alii, in quibus temere agnoscunt eam orationis figuram, qua quod postea dicendum est priore loco ponitur, illos interpretes in errorem induxerint. Iustam explicationem iam indicavit Probus p. 59. ed. Keil.

III, 76 „Molle" non est „mobile," sed illud quod tactui facile cedit, et Xenophonteum *ὑγρόν*. Locum dissimilem II, 389., quem comparant, recte explicavit Ladewigus. In verbo reponendi explicando confugiunt ad artificium, ubi simplicior ratio flagitare videtur notionem repetitionis (ut II, 163. et Aen. VII, 225), ergo „iterum iterumque ponere."

III, 88. Cf. Hes. Scut. 61. 62. Eiusdem loci Hesiodei (adde vs. 108. sq. 466.) in versibus proxime sequentibus immemores fuerunt recentiores interpretes, quamquam Vergilii verba: „quorum Graii meminere poetae, Martis equi biiuges" suam inde accipiunt lucem, quod probe perspiciens Martinus Hesiodi verba adscripsit.

III, 98. Inde ab Heynio omnes uno consensu intelligunt „proelia Veneris," atque Vossius quum haud dubie sensisset, sententiam parum coire cum praecedentibus,

callide „quando“ reddidit per voces „*doch endlich*,“ quod non inest in illa particula. Ut falsam esse dicam vulgarem explicationem, his caussis permoveor. Primum illa sententia, quam in verbis „ad proelia ventum est“ inesse volunt, iam satis et quidem eleganter indicata est verbis praecedentibus, bis autem idem sine ulla caussa dici abhorret ab Vergilii ratione poetica. Deinde non poetae nostri elegantia tincti videntur, qui comparant Aen. XI, 736., quia utriusque loci nexus diversissimus est. Tum persuadere mihi non possum, Silium Italicum hanc comparationem contorsisse in alium sensum ideoque inepte imitatum esse. Denique ipsorum verborum, si ad solam Venerem admissarii equi et equae refers, neque protasis neque apodosis apta est. Nam rem ad Venerem pervenire, ubi semel admissi sint, per se intelligitur, ut haec res non per particulas „si quando“ apte induci potuerit. Neque „incassum furere“ dici potest „frigidus in Venerem senior“ equus, quia ab eo omnis omnino furor amoris abest. Iam quid restat? Ad veram pugnam ac bellum haec cum Cerda referri non posse apparet. Sed desideratur iam per se illa res, quam si poeta in eiusmodi nexu non commemorasset iure mirareris, nimirum proelia in pascuis, ubi occasione oblata („si quando ad proelia ventum est“) animadvertere licet, quam fortiter, imo quam furenter acer et fervidus admissarius defendat suas equas ab omni lascivia ac contrectatione aliorum. Quod qui animadvertit, simul cognitum habet, quam „incassum furat,“ i. e. furere quidem conetur, verum non valeat equus senior, quum per Venerem non amplius stimuletur. Hanc meam sententiam confirmavit ille equitandi magister, Latinae linguae non plane rudis, quem olim de aliquot locis Vergilianis a me consultum esse iam in censura ad alium locum significavi.

III, 101. Ex mea quidem sententia longius repetitum est, quod Wagnerus ex parte Vossium secutus adscripsit assentientibus Forbigero*) et Ladewigo. Multo simplicius est, si prolem parentum ad „equos ex iisdem parentibus natos“ refers; nam in equis quoque hoc valet, ut ex eorum qui eodem utero prognati sunt virtutibus coniecturam facias de praestantia equi. Cf. Hor. carm. IV, 4, 30: „est in equis patrum virtus.“ Itaque mihi unice probatur Iahnii explicatio.

III, 103. Ab simplicitate abhorret Ladewigi explicatio. Simplicissimum est solum pronomen id cogitatione assumere: „nonne id vides, cum“ etc. Adde quae supra dixi ad Ecl. IV, 52. Pronomen id, h. e. quod proxime praecedit „quae cuique sit gloria palmae.“ Quem locum Wagnerus de structura laudavit „E. III, 12.,“ de eo supra locutus sum.

III, 117. Ladewigus annotavit, gressus glomerare non indicare nostrum „*trottiren*,“ eius enim rei nullum esse usum in bellis, sed significare „*im Takte traben*.“

---

*) De Forbigeri editione utilissima, quippe quae plurimas res collegerit, quarum notitia ad scriptoris intelligentiam iuvandam aliquid confert, quidam homines eruditissimi nimis severe iudicaverunt. Sed a me illius editionis mentio raro facta est, quia Forbigerus pariter atque Kochius plerumque secutus est eius qui proxime antecesserat auctoritatem; mihi propositum erat, ut meum de iis viris proponerem iudicium, Wagnerum dico et Ladewigum, qui a doctrina non minus instructi quam ab ingenio novam in Vergilio interpretando nuper inierunt viam.

Sed plura vir ingeniosissimus neglexit. Primum non attendit attributum „superbos,“ quod ex ista interpretatione sensu caret. Nam in eo, quod aliquis eques „certum gradum servat in citatiore cursu *(im Takte trabt)*,“ nulla conspici potest „equitandi superbia.“ Deinde non satis reputavit, inde a versu 179. demum agi de bellis et pugnis. Atque etiamsi hic de bello iam posset cogitari, tamen non prorsus abiiciendum esset illud genus equitandi, quod vocant „*trottiren*,“ quia eius quidam usus etiam belli tempore fit, si quidem exercitus recensentur, et duces superiores, ut solent, sui ipsius dexteritatem ostentaturi sunt coram imperatore: quam rem ego commemoratam legi, nisi memoria me fallit, apud ipsum rei militaris aliquem scriptorem. Denique illud „certum gradum servare in citatiore cursu“ iam proxime praecedit in verbis „insultare solo.“ Itaque assentiendum est Wagnero, qui rem ipsam descripsit verbis Lemarii usus, quamquam pro „dum posteriora tenduntur“ dilucidius diceretur: „dum posteriora omni nervorum contentione annituntur.“ Praeterea addi poterat dictio, qua nostrates rei equestris periti utuntur, nimirum „*in stolzen Schritten paradiren lassen*,“ vel, ut latinis verbis dicam, „equum ferocius exsultantem cum affectatione quadam ostentare.“

III, 118: „Aequus uterque labor, i. e. ad utramque rem, ad usum et certaminum et belli.“ Ita Forbigerus, Ladewigus alii, qui hoc loco pariter atque in praecedenti versu falsam sibi finxerunt oppositionem. Sed verissime Vossius ad proxime antecedentia retulit, h. e. ad certamen curule et ad equitandum. Quae sequitur vocula aeque ad praecedentia pertinere recte monuit Iahnius, quamquam ab reliqua eius interpretatione dissentio. Nam ut mihi videtur sententiarum cohaerentia haec est: „defectus illarum virtutum, quas recenset poeta, resarciri non potest neque exercitatione bellica neque origine ex nobilibus locis aut gentibus deducta.“

III, 136. Sumptam a Graecis metaphoram esse, sine caussa annotat Wagnerus, quum in hac re idem sit omnium populorum consensus. Itaque huc quoque spectat quod verissime observavit Heynius in II, 500.

III, 188. Inde ab Heinsio omnes uno consensu retinuerunt audeat. Sed velim exempla afferantur, in quibus audere habeat notionem „fortiter patiendi“ vel „non expavescendi.“ Ego quin vera sit lectio dubito. Profecto nemo haereret in verbo audiat, si nulla exstaret scripturae discrepantia. Sed si potest hic usus verbi audendi idoneis exemplis firmari, tum locus pertinere videtur ad illam figuram, quam nomine actionis passivae appellatam pluribus illustravit A. Koechly. in Prolegg. ad Quint. Smyrn. p. XCII. sq.

III, 191. Errat Ladewigus; cf. ad vs. 117. Nam sonare est „sonitum edere ungulis,“ et sinuet „sinuans tollat,“ ut totius loci haec sit sententia: „gradatim incedens ungulis sonum edit et alternis motibus crura sinuans tollit.“ — Ad vs. 193 cf. Iliad. XX, 226. Aen. VI, 807.

III, 198. Wagner.: „segetes altae, adultae.“ Ego potius cum Vossio cogitaverim de segetibus „quae sunt in profundis locis seu in convallibus,“ ne bis idem dictum sit, quia statim sequitur illud „campi natantes.“ Caeterum pro verbis „*rauschen leise*,“ quibus usus est Kochius, dicendum fuit: „*schauern im sanften Wehen*.“

III, 202. Recte Ladewigus, ut mihi videtur, cum Iahnio recepit hinc; nam hic, quidquid obloquuntur, et a perspicuitate et ab elegantia abhorret. Porro hic pronomen numquam valere potest: „talis, tam egregius."

III, 230. Me quidem iudice res simplicissima haec est: quemadmodum instratus recte locum obtinet, etsi significatio nullo alio firmari potest exemplo, sic pariter ferenda est elegantissima vox pernix, quam Vossii auctoritati obsecutus iure restituit Iahnius. Idem recte iudicavit in vs. 241 de verbo „subvectat," et in vs. 251 de scriptura „correptosque," Ladewigi in utroque loco assensum ferens.

III, 263. Qui „super" pro adverbio sumunt, non cogitant se hic poetae intrudere supervacaneam et in quotidiana vita tritam notionem. Alius rationis sunt quae comparant Wagnerus et Ladewigus. Poeta rem ipsam vividis coloribus posuit ob legentium oculos, ideoque praepositione usus est; recte contulit Vossius Aen. XI, 53. Cum Vergilio consentit Musaeus v. 140: *καὶδ δ' Ἡρὼ τέθνηκεν ἐπ' ὀλλυμένῳ παρακοίτῃ*, consentit Schillerus in extrema carminis stropha.

III, 283. Wagnerus hic adscripsit qualia leguntur repetita in multis aliorum commentariis, nimirum: „Praegresso pronomine relativo saepe nova sententia per copulam aut ita subiungitur, ut ea per Participium exprimi possit: aut ita, ut ipsum pronomen, sed alio casu, repetendum sit, quemadmodum" etc. additis scilicet exemplis Vergilianis. At haec doctrina in Romanorum cogitationem non cadebat: interpres nihil aliud fecit nisi ut Latinas cogitationes accommodaverit ad Germanicam loquendi consuetudinem, quae ex prorsus aliis legibus et ex alio ingenio repetenda est. Id vero non est Romanas sententias interpretari, sed invertere. Qui iustus interpretis partes explere volet, ei tantum annotare licet, veteres gentes multo crebrius, quam recentiores, ex relativa structura celeriter transsilire in demonstrativam. Nam in horum omnium exemplorum altero membro de demonstrativa, non de relativa constructione Latine cogitandum est, veluti hoc de quo agimus loco statuere non licet: „miscueruntque pro et cui miscuerunt," sed ex ingenio Romanorum explicandum fuit: „et miscuerunt ei." Id verum esse etiam ex eo intelligitur, quod apud Romanos numquam abesse potest relativum pronomen: potest tantummodo demonstrativum. Dissimillimum est quod adiicitur exemplum G. IV, 9., ubi quo ad utrumque membrum, per particulas neque . . . neque arcte cohaerens, recte refertur, quia ibi insultandi verbum (praegnanter positum) apte iungi minime potuit cum notione quietis, quam notionem temere infert Wagnerus. Namque adeo stultus nemo erit, ut apum stationem fixurus sit, ubi „oves haedique" vulgo pascuntur ideoque floribus insultant, sed praemonet poeta ne eum agricolae deligant locum, quo possint pervenire oves haedique floribus insultantes.

III, 290. Omnium consensus est in hac interpretatione: „hunc honorem, i. e. eum, qui a poeta requiritur, verborum ornatum. Sed Vergilium meliorem habeo poetam, quam ut solum „verborum ornatum" tamquam unicum poetae honorem ab eo petitum esse existimem. Deinde haud scio an ex ista explicatione potius dicendum fuerit „illum honorem," quia verba non definite dicta esse volunt. Quid plura? Non ad „verborum ornatum," sed ad poeticas sententias refertur, et poeta dicit, magnum esse „angustis rebus hunc honorem addere, h. e. exiguas res

ad tantum honorem et auctoritatem efferre, nimirum ut vere poetica oratione describantur. Eleganter Vossius*) addit: „non dubium est, quin Vergilius hoc dicto Baviis et Maeviis haud parvum scrupulum iniecerit."

III, 302. Wagnerus: „a ventis, sc. aversa." Ergo extrinsecus advocat quod iam inest in ipsa praepositione; cf. Hand. Turs. vol. I. p. 49. sq. Quod praeterea cum Vossio annotavit Ladewigus: „*mehr nach dem Aufgange der Wintersonne mit einer Richtung nach Süden*," id alienum est a verbis poetae, qui simpliciter dicit: „*gegen Mittag wenden und der Wintersonne zukehren.*" Atque id conciliari potest cum aliis scriptoribus, si quis accurate inspiciat.

III, 325. De hoc loco sicuti de multis aliis, quos omnes in hac commentatione intactos reliqui, explicatius dixi in censura.

III, 340. Non recte mihi videtur Wagnerus cum caeteris interpretibus singula verba sic iunxisse: „mapalia raris tectis habitata," quia et hic ordo verborum et addita explicatio abhorret a poetica elegantia. Ego malim sic iungere verba: „habitata mapalia raris tectis, h. e. quorum vix singula tecta eminent, *bewohnte Hütten, von denen man nur hier und da ein Dach erblickt.*" Id demum eleganter dictum est. Nam quivis viator gaudet, quum post longinquam peregrinationem in deserta regione susceptam aliquando tectum oculis conspicit.

III, 343. Nova ratione Ladewigus verba: „tantum campi iacet" ita explicavit: „*es liegt nur auf dem Felde.* Campi *ist Locativform.*" Mihi haec legenti plures iniecti sunt scrupuli. Primum poeta haec verba non opposuit praecedentibus „sine ullis hospitiis," quae tantum secundario loco addita sunt, sed illustraturus est primaria verba „longa deserta." Alioquin enim non „campi," sed sub dio vel simile quid exspectaretur, quia etiam campi cogitari possunt hospitia. Deinde mirum in modum ex meo quidem sensu dictum esset: „tantum iacet," quum proxime antecedant: „pascitur itque," ita ut haec formula potius quadraret in animal quale in vs. 466. describitur. Itaque ego acquiesco in vulgari huius loci interpretatione.

III, 351. Hic „redire" videtur simpliciter esse, uti ἀνιέναι, „in recessum reduci, *sich hinausziehen.*" In vs. 356. cauri vocem Wagnerus minuscula litera exaravit, quamquam in vs. 278. Caurum scripsit per maiusculam, (nisi haec diversitas pertinet ad operarum errores, quales praeterea exstant in I, 15. 308. II, 55. 76. IV, 198. in annot. VI. pro V). Neque Ladewigus sibi constitit, in vs. 367. setius, at II, 277. secius scribens. In minuscula litera consentit uterque interpres in vs. 357. sol, ubi Solem requiri extra omnem dubitationem positum est.

III, 368. Cogitant interpretes de vaccis et bobus plaustra vehentibus coll. vss. 352. 361. et Ecl. VII, 53. Id quomodo apte conspiret cum verbo stant, mihi non

*) Ne Vossii manes Latine scribenti mihi succenseant, hic quoque ædo incorrupta haec eius verba: „*Diese Veredelung* (quae vox loco Vergiliano non apta est) *wird in den gewähltesten Worten . . . angekündigt: wobei die damaligen Gottschede wohl den Kopf schüttelten.*"

patet. Explicaverit quis: „ubi redierunt in stabula, vel intereunt pecudes, vel stant circumfusa pruinis corpora boum,“ sed simplicius videtur ita explicari locum, ut dicat poeta, „gelu interdum tam vehemens esse, ut vel in stabula ingruat*), ideoque pecudes vel intereant, vel corpora boum stent pruinis circumfusa.“

III, 372. Formidinis loco veterum venatores praeter puniceas pennas etiam tinnientibus tintinnabulis usos esse (quod Ladewigus ex Vossii commentario transscripsit), id quibus testibus dictum sit ignoro. Donec testes idonei prolati erunt, putabo haec tinnientia tintinnabula veteribus pariter incognita fuisse, atque pannos laneos seu linteos ac scandulas pineas, quas maxime metuere cervos censent ii qui venandi studio apud nos dediti sunt.

III, 380. Verbis „fermento atque sorbis“ non ea ratione, qua eadem notio per duo vocabula exprimitur, explicandis significari duos potus, qui prope accedant ad genus quoddam cerevisiae atque vini ex pomis parati, iam pluribus exposuit Vossius, iure probatus Ladewigo.

III. 398. Particulam iam transeuntis esse ad aliam rem memorandam annotavit Wagnerus: at tum ab initio sententiae voculam ponendam fuisse apparet. Cum verbo „prohibent“ particulam iungendam esse putat Ladewigus, quod hyperbaton linguae ratione refellitur. Ambigit de hoc loco Handius in Turs. vol. III. p. 142., recte tamen ille quidem Vossii explicationem refutans. Ego capio verba ut scripta sunt: „multi iam secretos haedos (praeter illam secretionem etiam) prohibent a matribus.“ Hic attende elegantissimum verbum: nam poeta neque amovent neque arcent neque abigunt neque simile verbum posuit, sed „prohibent, h. e. impediunt quominus matres haedos ad se admittant.“ Et quo subsidio illud impediunt? Eo quod haedorum „ora praefigunt capistris.“ In hoc versu explicando omnes quidem consentiunt in eo, quod que particulam disiunctive sumendam esse existimant, sed id numquam fieri posse, iam paucis indicavi in I, 442. Etiam hic illud que suam retinet significationem, i. e. utrumque (et illud „iam secretos prohibere a matribus“ et „ora praefigere capistris“) poeta coniunctim cogitari vult, quia et eodem tempore et in iisdem haedis fit. Habet igitur hoc loco vocula que vim explicandi, ut posteriore versu explicatio prioris contineatur. Accidit enim interdum casu quodam infelici, ut haedi, quamvis iam secreti sint a matribus, tamen lactis cupiditate stimulati ad matres perrumpant (Similem eius generis cupiditatem depinxit in hinnulo Theocr. VIII, 88: *οὕτω κ' ἐπὶ ματέρι νεβρὸς ἅλοιτο*). Idcirco addit poeta, hoc nihil profuisse haedis, quia eorum ora praefixa fuerint capistris. Ita omnia egregie conspirant, neque opus est, ut ulla vis particulis iam et que inferatur.

---

*) Re denuo pensitata dubius haereo, an proposita interpretatio locum accuratius inspicienti satisfaciat. Itaque magis inclinor ad sententiam Haunii, subtilissimi plagularum correctoris, cui hic versus arcte cohaerere videtur cum iis quae proxime praecedunt verbis. Id si sumitur, poeta dicit, nives toto aere ita circumvolvi ac disiici, ut etiam in stabula per tenues rimas penetrent, quo facto intereunt pecudes etc.

III, 402. Iahnio excepto omnes omnino probarunt Scaligeri coniecturam exportans. Immerito. Nam primum ineleganter turbatur orationis concinnitas, ex qua egregie sibi respondent: premunt . . . exportant . . . continguunt . . . reponunt. Deinde recepta coniectura locus ita coloratur, quasi eadem persona sit dominus gregis et pastor, qui tamen in bucolicon et georgicon libris accurate distinguuntur. Itaque Iahnius suo iure revocavit librorum scripturam et verba „adit oppida pastor" lineolis dispescuit ab reliqua oratione.

III, 414. In argumento indicando Heynium secutus Wagnerus non satis accurate dicit: „Praecepta de cavendis noxiis animalibus," quum potius debebat dicere: „Praecepta de serpentibus domesticis removendis ex stabulis atque de cavendis silvestribus serpentibus in pratis." Epitheton graves ego non tam reddiderim per noxias, quam „horribiles, *grauenvoll.*"

III, 420. Quid robora sint, nemo explicavit. Vossius reddidit „*Keulen.*" Sed cur pluribus opus sit fustibus, ego non perspicio caussam. Itaque puto, pluralem huius vocis accedere ad illam rationem, ex qua τόξα similesque plurales et Graeci et Latini explicantur, ita ut fere idem sit quod Ovidianum (Met. XII, 349) „robur nodosum," et nostrum „*Knotenstock.*" Potest vero etiam sumi, plurali numero indicari actionis repetitionem, ut quotiescumque agricola aliquem serpentem interfecturus sit, tale robur capiat. Huc accedit orationis concinnitas, quia saxa numero plurali praecedunt.*)

III, 435. sqq. De particulis nec et neu inter se iunctis videndus est Obbarius (in Muetzellii annall. in gymnasiorum usum editis ann. L. p. 913), qui etsi Forbigerum et Handium suo iure laudavit, tamen ipse verissimum iudicium fecit.

III, 453. Non opus fuit multis verbis, quibus usus est Ladewigus. Nam paucissimis ita interpretari licuit: „potuit, i. e. a se impetrare potuit, *über sich vermocht hat.*"

III, 476. Hic „regna pastorum" paullo artificiosius intelligunt „agros fertilissimos vel possessiones florentes, coll. Ecl. I, 70." Sed mihi simplicissimum videtur intelligere „loca, in quibus longe lateque cum gregibus versati sunt pastores, ideoque quasi regnarunt."

III, 481. Quid sibi velit in minore editione Wagneri coniectura infectaque, quam ex maiore repetivit, ego non intelligo. Locum habere non posset, nisi praecederet simul „corruptique lacus," quae formae si revera scriptae essent, aliam haberemus sententiam. Nunc autem dixit poeta: „corrupitque lacus, infecit pabula tabo." Quod ut defenderet, Wagnerus in Heynii editione comparavit quae aliena sunt, quia in omnibus illius generis exemplis semper repetitur idem neque diversum verbum. Sed hoc loco abest copula, quia poeta indicaturus videtur, verba

*) Haunius quum haec legisset, haud incommode cogitavit „vel de particulis roboris, veluti ramis robustis, vel de pluribus fustibus ita in usum vocatis, ut deinceps uno fracto statim alter fustis ad manus sit."

„infecit pabula tabo“ esse explicationem praecedentis „corrupitque lacus.“*) Neque tamen opus est, ut pabula interpretemur „pascua seu prata,“ sed sufficit propria significatio *Nahrung*, *Futter*. Posse autem haec verba pro explicatione haberi, id inde apparet, quod in omnibus fere pestilentiae descriptionibus legimus, — uti rei natura postulabat — morbi initium petitum esse ab aquis corruptis.**) Id hic quoque leniter indicari voluisse videtur poeta copula omissa.

III, 486. Inter alia ab Ladewigo recte annotata, unde levem quamdam rem de infula et vitta in Wagneri commentario emendare licet, etiam haec adscripta sunt: „*selbst das zum Sühnopfer beim Anfang der Seuche erwählte Schaf wird plötzlich von der Seuche befallen.*“ Sed id in initium pestilentiae cadere, non conspirat cum eo, quod poeta id saepe factum esse cum emphasi monuit. Itaque haec res tantum convenit ei tempori, quo morbus iam vehementius grassari cogitatur.

III, 498. Recentissimorum editorum explicatio haec est: „infelix studiorum, cui nihil prosunt studia sua, victoriae reportatae; cf. v. 525.“ At hanc vocabuli „infelix“ significationem unde firmari velint, ego Heynii perspicuam explanationem secutus ignoro. Mihi videntur in vocem aliquid inferre, quod minime inest. Praeterea comparant dissimilia, quae huc nihil faciunt. Heynii Vossiique interpretationi aliquid subsidii paratur etiam ex caesura primaria, qua vox studiorum ad sequentia pertinet.

III, 507. Wagn.: „tendunt, pecudes; ut dant vs. 503.“ Non ab omni parte verum est. Nam poeta agit de solis equis. Id vidit quidem Ladewigus, sed idem non prorsus probari potest in suum usum convertens haec Vossii verba: „*Von dem einzelnen Ross erweitert sich jetzt das Gemälde über das ganze Geschlecht.*“ Potius ita iudicandum est, ut verba „victor equus“ in vs. 499 collective dicta esse, ergo totum genus complecti intelligantur. Similiter de loco vs. 520. sqq. (cuius rei initium demum inde a vs. 526 fieri vult sine caussa idonea Ladewigus Vossii auctoritati obtemperans) iudicavit Wagnerus, quamquam paullo dilucidius procederet eius annotatio ita: „Haec non solum ad unum illum taurum pari suo superstitem, sed simul ad universum taurinum genus spectare, declarat verbum pascuntur, sicuti universus orationis color.“

III, 533. Explicatio vulgaris: „uris imparibus, colore maxime“ mihi ipsam rei naturam consideranti aliquantum offensionis habet. Nam multo difficilius est „uros magnitudine et maxime colore impares“ in eadem regione invenire, quam eos qui „colore pares“ sunt. Itaque animus magis inclinat ad metaphoricam

---

*) „Tu elegantiam poetae ubique explanare studes: vide an hic quoque illa virtus cernatur, si quidem putas copulam abesse, ut hic versus per concinnam aequabilitatem cum praecedente „omne ferarum“ coeat; quamquam haud scio an versus 480 et 481 melius procederent, si ordine inverso scripti essent.“ Haec amice ad me scripsit Haunius noster.

**) Lectu iucunda de hac re nuper composuit Funkhaenel. in Muetzellii annall. in gymnas. usum edit. ann. L. pag. 509.

vocis significationem, ut uri cogitentur „qui huic negotio impares sunt, i. e. quibus contra fas et ritum sollemnem ad illud negotium uteris.“

III, 565: „Membra sequebatur, i. e. se diffundebat per omnia membra.“ Ita Wagnerus cum eoque Ladewigus. Sed paullo fortior explicatio est, quae magis conveniret sequentibus verbis. Loci reique naturae convenientius dixeris: „ardentes papulae atque sudor prorumpebant sensim sensimque ex membris.“

IV, 7. Quamvis verissime iudicaverit Iahnius, tamen qui eum secuti sunt recentiores editores temere inferunt „deorum invidiam.“ At Herodoteum illud τὸ θεῖον φθονερόν ab hoc loco prorsus abhorret. Itaque non „invidi dii,“ sed tantum „adversantes dii“ memorandi erant. Nam sententia haec est: „si quem infesti dii a cantu non prohibent et vocatus Apollo benevolas aures praebet.“ Comparari potest Theocr. VII, 100 sq.

IV, 22. Omnes nunc explicant: „vere suo, i. e. sibi grato et iucundo,“ ergo attenuarunt miserabiliter pronominis notionem, quamquam iam Vossius veram viam monstravit. Nam verba „vere suo“ indicare „ver quod proprium sit apum, seu quod verum habeant ver,“ incipiens a verno aequinoctio et pertinens usque ad solstitium aestivum, id sicut alias res ego ipse per aliquot annos continuos sedulo observavi. Consentiunt clarissimi auctores, qui inter nostrates rei apiariae periti libros ediderunt. Par ratio est versus 190., ubi quum ab aliis viris doctis, tum ab ipso Vossio explicatur: „sopor suus, i. e. iis, utpote multo labore fessis, debitus,“ quasi pronomen Latinum vices Graecorum articuli sustinere posset. Sed simplicissimum et rei naturae conveniens hoc est: „sopor suus, i. e. qui apum proprius est, seu apum sopor vocari potest.“ Similem pronominis possessivi usum vides in Claudiani LII, 2, 14: „metiturque suo rusticus orbe diem,“ atque saepe apud ipsum Vergilium, veluti in Ecl. III, 62., ubi non probo Wagneri vim possessivam diluentis annotationem; cf. VII, 61. sq., in quo loco aperte dicitur: „gratissima . . . sua laurea Phoebo,“ ergo ex ista ratione pronomen supervacaneum esset. — In vs. 24. verba quomodo iungenda atque explicanda sint, ego satis explanasse mihi videor in censura.

IV, 33. Wagnerus: „liquefacta remittit, ornate pro liquefacit; remittere h. l. est i. q. resolvere.“ Talem ornatum, qui inde ab Heynii temporibus inveterato more receptus mansit, assumat qui assumere velit: ego quidem ab animo meo impetrare non possum. Mihi in huiusmodi locis inesse videtur usus quidam, quem nondum illustrarunt grammatici. Nam ne Naegelsbachius quidem in libro, qui est de arte Latine scribendi, attigit illum usum, qui etiam contraria praecipit iis, quae subtilissimus ille Latini sermonis observator exposuit in §. 84. Scilicet hoc loco Vergiliano habemus elegantem periphrasin verbi reliquefacit, cuius usum Latini ignoraverunt. Itaque certe explicandum fuit: „ita resolvit coacta mella, ut rursus seu denuo liquida fiant.“

IV, 39. Verba „fucoque et floribus,“ in quibus denuo illud ἓν διὰ δυοῖν deprehendisse sibi videntur, respondent nostro: „*mit Bienenharz und Blumensaft.*“ Nam fucus ex mente poetae referendus est ad propolin vel melliginem, quae ex arborum lacrimis paratur, et flores ad ceram, quam colligunt apes ex floribus.

Id aperte testantur auctores rei apiariae periti. Itaque flores, iam per se positi, uti ἄνθεα apud Theocr. XV, 116., indicant sucum florum.

IV, 55. Wagnerus Heynium secutus dicit: „hinc, ex floribus fontibusque," cui explicationi refragatur alterum et tertium hinc, quod sequitur, quae particulae sibi respondentes ut pariter explicentur, flagitat loci concinnitas. Itaque dicendum est, particulam hinc ter positam significare operum faciendorum consecutionem: id quod non satis clare effert Handius in Turs. vol. III, p. 91.

IV, 62. Ubi Wagn. tacet, Ladewigus adscripsit: „*die von den Kundigen vorgeschriebenen Kräuter, deren Geschmack den Bienen gefällt.*" Primum poeta non generatim rei peritos, quorum nulla mentio fit, intelligi vult, sed se ipsum, sicuti in vs. 549. „monstratas aras" dicit eas, quas mater excitandas esse iusserat. Deinde sapores paullo accuratius illustrandi erant per sucos bene olentes, qui ad saporem apes alliciant; cf. vss. 65. 109. 264.

IV, 77. Ladew. „campos patentes, *der offene Himmel.*" Potius „loca aperta, cancellis non circumscripta, *freie Gefilde*," ut interpretatio in eodem simili versetur; nam agitur de pugna et oppositum cogitatur angustum alveare. — Versum 112. accuratius tractavi in recensione.

IV, 130. Mirandum est, quod Wagnerus etiamnum Heynium secutus proponit: „dumis, loco dumoso," quod rem ipsam consideranti paene ridiculum est. At verba „in dumis" ita ut significent „intra dumetum, *innerhalb einer Dornenhecke*," linguae usui consentanea sunt. Itaque verissime hunc locum interpretatus est Vossius, cuius rationem recte defenderunt Handius (in Turs. vol. III. p. 250) atque Ladewigus.

IV, 132. Optimi et plurimi codices cum Servio in hoc loco tuentur animis, quem pluralem ab recentioribus spretum ita defendi posse existimo, ut verba iungantur: „opes (suas) aequabat animis regum, h. e. suas opes vel a regibus expeti posse putabat." Et hae opes statim enumerantur, nimirum ut mensae dapibus onerentur, ut vere primae rosae carpantur, ut auctumno habeat prima poma, quae omnia simul spectant ad animos regum. Quod nisi sumatur, mihi obscura est loci structura, quum verbum „aequabat" destitutum esset casu rei, cui opes compararentur.

IV, 144. Unam partem huius versus iam illustravi in censura; superest haec explicatio: „ulmos seras, i. e. tarde crescentes," uti cum Burmanno locum intellexit Wagnerus. Id et ab rei veritate et a poesi abhorret. Ladewigus in suum commentarium transposuit haec Vossii verba: „*späte Ulmen, d. i. grössere, bei welchen es Anderen zu spät schien.*" At num maiores an minores sint, id nihil ad rem, neque dixit poeta. Apud eum enim, quia seras non est epitheton ornans sive perpetuum, ex more poetarum ad ipsam actionem respicitur, h. e. vivido colore ulmi ipsae vocantur serae, quas Corycius senex sero transplantavit; cf. III, 260. Adiectivum autem delegit poeta ob loci concinnitatem. Cf. Ecl. II, 51. G. IV, 319., ubi Wagnerus tacet, Iahnius offendit, sed quae mea sit sententia, eam iam praeoccupatam esse video ab Ladewigo.

IV, 173. Vossius „lacum" reddidit per „*Kühltrog*," hac addita annotatione: „*hier und bei Ovids Met. IV, 171. dachte sich jeder einen Wassertrog, nicht Wasser allein*," quia Heynius (ab Wagnero non emendatus) diversa commiscens adscripserat:

„lacus, ut fontes, pro aqua positus.“ Vossius quamquam id recte tacita reprehensione notavit, tamen ne ipse quidem prorsus perspexisse videtur dictionis elegantiam. Poeta enim lacum delegit, quia haec notio unice apta erat imagini ingentium Cyclopum.

IV, 204. Consentiens editorum explicatio haec est: „ultro, i. q. insuper, adeo,“ quod Wagnerus peculiari quaestione Verg. XXVII. firmare studet; sed ut mihi videtur eventu excidit. Nam id si dici voluisset poeta, voculam adeo posuisset. Deinde illa significatio omnem sententiam Vergilii elumbem reddit et virtutem poeticam tollit. Vocula „ultro“ ubique significat sua sponte. Ita hic apes „ultro animam sub fasce dedisse“ dicuntur, quia „priusquam fascem gravescentem deponerent, potius moriuntur sua sponte vel voluntaria morte,“ ita ut mors tamquam consilium ab apibus captum poetice efferatur.

IV, 224. Heynius: „tenues vitas, animas quippe aetheriae naturae,“ quod intactum reliquit Wagnerus. Similiter Ladewigo intelligendus videtur „aer vitalis seu vigorem dans, isque cum particula teneri aetheris commixtus.“ Sed tum diceretur tenuis aura arcessi ex tenui aura, ergo idem per idem dictum esset, quod dedeceret poetam. Non satis interpretes respexisse videntur voculam „hinc, i. e. ex mente divina et haustibus aetheriis;“ nam per illam voculam ista explicatio refutatur. Si quid video, poeta delegit quidem vocem „tenues vitas“ loci cohaerentia permotus, quia modo dixerat „haustus aetherios;“ sed indicavit „teneras vitas, *das zarte Leben*,“ quoniam omnibus, quae nascuntur, ab initio vita exigua est. Alia ratio est Aen. VI, 292., ubi perspicuitatis caussa verba „sine corpore“ addita sunt.

IV, 228. sqq. In hoc loco legendo, quemadmodum eum interpretes constituerunt, ego vehementer offendo, quia mihi, ut dicam quod res est, omnia obscura sunt. Exponam quae mea sit de hoc loco sententia. **Primum** verba „ora fove“ esse volunt „i. q. ora purga,“ quod ut cogant, eas artes adhibent, ex quibus se expedire non possunt. Horum artificum signifer Vossius est, his verbis usus: „*pflege, heile, säubere*.“ Mira significationum earumque fictarum gradatio! Nam in exemplis, quae comparantur (G. II, 135. Aen. XII, 420) fovetur aliquid, quod aegrotum est vel quocumque malo laborat. Iam vero — hoc est **alterum**, quod offensionem mihi parat — hoc loco praeceptum tam late patens proponitur, ut, si vera esset illa explicatio, inde sequeretur omnes homines mellarios laborare „oribus male olentibus.“ **Deinde** „ora“ pluralem de uno homine hic apte dici, quibus exemplis monstrari possit ego ignoro. **Tum** non intelligo, quomodo verba „ora fove“ iungenda sint cum iis quae proxime praecedunt „haustu sparsus aquarum,“ in quibus explicandis in duas partes discedunt. Wagnerus enim cum Vossio interpretatus est: „spargens os aquae haustu; ingratus est enim oris foetor apibus.“ Ergo tria pro exploratis sumpsit, quae vera esse antea demonstraretur necesse erat, nimirum et solo aquae haustu removeri posse oris foetorem, et formas „sparsus“ ac „spargens“ idem valere, et poetam elegantissimis verbis usum esse ut diceret rem tritissimam, ideoque inepte luxuriaret. Haec credat Iudaeus Apella; ego non credo. Ladewigus alios auctores secutus adscripsit: „lavatis manibus (sparsus, sc. aquis; lotus dicit

Columella IX, 14, 3.)," quod quomodo inesse possit in verbis Vergilianis, ipse viderit vir sagacissimus; ego non video. **Postremo** obscurum mihi est, qua ratione illa oris purgatio, sive lotae manus in usum vocantur sive non, commode coeat cum iis qui praetendi iubentur fumis. Id Ladewigus ipse sensit, quum adderet haecce: „quamquam cautio illa oris purgandi ob fumos qui praetendi iubentur superflua est." Verum enim vero superfluam rem numquam elocutus est Vergilius, modo recte intelligatur. Quinque igitur dubitandi caussae, quas modo exposui, ex animo meo evelli vix singulae poterunt. Sed omnes quasi uno ictu exemptae erunt, si probaveris eam quam optimi codices, in iis Mediceus*) et Servius, suppeditant scripturam: augustam atque ore fave. Cur omnes hanc lectionem, quae nititur optimorum testium auctoritate, spreverunt? Ex una hac caussa, ab Ladewigo ex Wagneri critico commentario repetita, scilicet hac: „Hoc loco si quis sanctiora illa verba retinuerit, verendum erit, ne sacrilegium committat, qui spoliet alvearia; quae repugnantia vereor ne a Romani poetae sensu plane abhorreat." At tale argumentum proferre non potest nisi qui animum mentemque in hoc unico loco ita defixas habet, ut non respiciat quae proxime praecedunt, atque negligat morem illum, quem diligenter servare solet poeta. Scilicet Vergilius orationis perpetuitatem sententiarumque cohaerentiam tanto studio sectatur, ut etiam in elocutione deligenda formulis utatur, quae quamvis ad alias res transferantur, tamen si propriam earum vim expendis cum tota loci conformatione et imaginum adumbratione amice conspirent. Ita hoc loco poeta postquam exposuit, mentem divinam putari diffusam esse per universam rerum naturam, statim animo a cogitatione huius rei sublimis nondum avocato sequentia ita annectit, ut etiam dictionem ad rem divinam, quae modo memorata erat, in sequentibus accommodet. Idcirco formulae ex re sacra petitae sunt, veluti „haustu sparsus aquarum, i. e. pura aqua lustratus," deinde „ore fave, i. e. noli strepitum excitare" (nam alibi quoque illud „ore favere" de omni, non de sacro solum, silentio dici ipse Wagnerus apud Heynium docuit Ennium laudans p. 114. edit. Hessel., a quo usu haud multum distant aliquot loci Ovidii atque Propertii); denique „fumos praetende:" quae omnia proprie ad rem sacram pertinent; quamquam si nudam notionem ex toto sententiarum nexu elicis, nihil aliud praecipitur nisi puritas atque silentium. Cadit igitur in hunc locum idem, quod in vs. 224. de „tenuibus vitis" observatum est. Haud mediocri voluptate affectus sum quum animadverti, longo ante me tempore similiter iudicasse Brunckium.

IV, 238. Wagn.: „adfixae, ad ipsas apes hoc translatum, cum proprie spiculum figi dicatur." Hoc si verum esset, a poeta dicendum fuit „**in**fixae." Sed

*) Ex deterioris notae codicibus accedit codex Lundensis. Cf. libellum, cui auctor hunc titulum fecit: „Ad Publium Virgilium Maronem ex codice Membranaceo Biblioth. Acad. Lundensis nunc primum collato Lectionis Varietatem adnotavit **Ioh. Gust. Ek**, Eloqu. et Poes. Prof. (Accedunt Observationes Criticae). Lundae, MDCCCXLVII." 153. pagg. chartis quaternis. Huius libri notitiam debeo Wuestemanni liberalitati, qui illum ut inspicere liceret ad me transmisit. Dolendum est, quod Ekio, qui codicis Lundensis collationem publici iuris fecit, prorsus incognitae fuerunt Wagneri excellentissimae curae.

apes eo temporis puncto, quo inferunt vulnus et spicula relinquunt, revera „adfixae venis“ sunt. Itaque actio spicula relinquendi vivido colore adumbrata est.

IV, 250. Ex eo, quod Ladewigus nudam Vossii interpretationem Germanicam in suam editionem transscripsit, tirones nondum intelligent, floribus indicari sucum florum, i. e. ceram; cf. quae supra in vs. 39. dicta sunt.

IV, 291 — 93. Wagnerus: „hos versus, ut alienos ab hoc loco, asteriscis notavi.“ At hac doctrina quasi de tripode Apollinis sumpta discipulus non docetur, sed turbatur iudicio praeoccupato. Haud difficile est argumenta in Heynii editione allata diluere. „Verum haec ipse equidem spatiis exclusus iniquis

Praetereo atque locis aliis memoranda relinquo.“

IV, 316. Vulgaris interpretatio, a qua ne recentiores quidem editores recedunt, haec est: „ingressus, i. e. initium.“ Quod, nisi fallor, neque cum particula unde neque cum „nova experientia“ neque cum plurali numero „ingressus“ congruit. Itaque „ingressus capere“ dici posse videtur tantummodo illud, quod ab aliis iam inventum caeteri homines sequi solent. Quare loci sententia est: „unde profectum est novum periculum, quod homines alii secuti sunt?“ Nos similiter loquimur: „*Eingang nehmen* sive *finden*.“

IV, 334. dicta sunt „Milesia vellera,“ quae Wagnerus ita illustravit: „Desideratur in hoc epitheto, ut in aliis quibusdam, iudicium Vergilii.“ Qua annotatione, a Kochio iure neglecta, quid proficiant scholarum discipuli, ego non perspicio. Nunc autem, quoniam longiore disputatione epitheton defendere iniuriamque poetae illatam arcere ego spatio exclusus non possum, id modo quaerere iuvat, num commentator haec scribens memor fuerit eorum, quae ipse in Ecl. I, 55 annotavit. — Caeterum interpretes recentissimi addere debebant, poetam quum hunc locum scriberet in memoria habuisse Iliad. XVIII, 35. sq. Quandocumque enim in veterum scriptorum interpretatione locum aliquem Homericum conferendi offertur opportunitas, ea non negligenda videtur.

IV, 360. sqq. Haec in memoriam revocant ea, quae in bibliis narrantur de Iudaeorum transitu per mare rubrum.

IV, 370. Non accurata mihi videtur Phylargyrii annotatio, Iahnio p. 394. probata; sed haud scio an utraque forma ita inter se differat, ut fluvius „saxosus sonans“ sit, qui per saxa feratur ideoque quasi ipse saxosus sonet, at „saxosum sonans“ is fluvius dicatur, qui ob saxa obstantia sonitum edat. Hoc discrimen firmari videtur per Hypanis naturam, qualis describitur ab iis, quos recensuit Forbiger. in geogr. antiq. vol. III. p. 1116. sq.

IV, 379. Non intelligo Ladewigi aliorum auctoritatem secuti haec verba: „*die Opferflamme, die von dem Altare aufsteigend diesen gleichsam emporwachsen lässt.*“ Nam talis imago vix ac ne vix quidem animis legentium Romanorum obversata est, quum „incensa altaria“ (Aen. VIII, 285.) et id genus alia, quae usu tritissima erant, illico recordarentur. Itaque multo simplicius est cogitare de verbo adolendi, quod bene tractavit Doederlinius in libro qui est de Synonymis. Recte Vossius et Wagnerus laudarunt Ecl. VIII, 65. Caeterum Panchaei ignes, quod ut Latine dictum sit veretur apud Heynium Wagnerus, non magis offendunt, quam πευκήεις

Ἥφαιστος in Soph. Ant. 123 (ibique Wunder.), *πῦρ δρύινον* in Theocr. IX, 19., alia quae comparari possunt.

IV, 383. Ladewigus Heynium secutus annotavit: „servant, i. e. incolunt, ut infra v. 459.“ Sed tum Nymphae nihil differrent ab animalibus, quae pariter silvas, nihil differrent ab piscibus, qui pariter flumina incolunt. Itaque servant latius patet, h. e. „diligenter custodiunt vel tuentur.“ Et in loco laudato hydrus inducitur poetice „servans ripas, quae custodiebat ripas, *die Ufer bewachte*, h. e. quae sedebat custodiam agens in ripis, ut strueret insidias.“ Vulgaris interpretatio solutae orationi convenit; nostra poetae virtus servatur.

IV, 397. Wagneri annotatio haec est: „eventus, quod ei acciderat malum, secundet, in melius mutet, monstrando scilicet caussam mali.“ Similiter Ladewigus: „*dass er zum Guten wende das Unglück.*“ At huic explicationi plura refragantur. Primum „eventus“ per se positus non significat „malum quod alicui accidit.“ Deinde respiciendus est Pluralis, quo non unica res, qualis „malum eiusque caussa“ est, indicari potest. Huc accedit, quod modo praecessit „expediat morbi caussam“, ergo temere iteraretur quod modo dictum est. Postremo non apta est ista explicatio neque „lapsis rebus“ (v. 449) neque sententiis versuum 456. 535. 555., quia non solum scire vult mali caussam, sed quod primarium est in optatis habet, novas sibi apes comparare. Haec omnia postulant, ut locum simplicissime interpretemur: „eventus secundet, *die Erfolge segne*, eventus apum reparandarum secundos reddat, h. e. subsidia monstret, quibus apes cum secundo eventu reparari possint.“ Nam vox „eventus“ spectat ad illa Nomina, de quibus in I, 269. a me dictum est, et in verbo secundandi inest praegnans quae vocatur notio. Itaque „eventus secundare“ proprie significat „subsidia eventus secundi monstrare,“ unde facilis transitus est ad eam quam proposui explicationem. Eamdem sententiam Ovidius habet in Fast. I, 367. sq.: „Proteus tua damna levabit, quoque modo repares, quae periere, dabit.“

IV, 428. Hunc locum iam in I, 326. explicaturus eram; sed omisi, quod aliud quiddam accederet. Heynius enim, cui caeteri tacite adstipulantur, suo more adscripsit: „ornati versus.“ Sane quidem ornati sunt versus, sed ita ornati, ut non adsit otiosa verborum abundantia. Eam autem inferunt in politissimum poetam recentiores interpretes, quum Heynii auctoritatem secuti sic interpretentur: „faucibus, i. e. alveis.“ Sed immerito. Nam alveorum notio iam satis indicata est per „cava flumina,“ quam ob rem fauces apte referri non possunt nisi ad fluminum ostia.

IV, 484: „Atque Ixionii vento rota constitit orbis.“ In hoc loco explicando alii alia, in iisque incredibilia proferunt, Heynius peculiarem excursum conscripsit. Omnes autem recentiores interpretes, quos inspicere mihi licuit, Heynius Wagnerus Forbigerus Kochius Ladewigus in eo conspirant, quod vento pro Ablativo sumunt confugientes ad illud artificium, cuius mentio supra in I, 269. facta est, nimirum rem poni pro rei defectu. Sed ista explicatione, quae iam per se artificiosa est, nihil aliud proficitur, nisi ut pulcherrima oblitterata imagine poetae orationi non solum omnes detrahantur nervi, sed ut totius loci etiam suavitas poetica diluatur. Quam

poesin qui servare vult — et quisque debet*) servare —, is „vento“ cum Vossio, qui tamen falsa admiscet, Dativum esse statuet, ut incolumis maneat Venti prosopopoeia, qualis exstat G. I, 462. III, 197. alibi. Deinde „rota Ixionii orbis,“ in quibus explicandis argutantur, poetice et eleganter dicta est pro „rota, cuius orbi (tortis anguibus, III, 38) Ixion alligatus est,“ ideoque comparanda hic erant illa exempla, quorum pauca delibavi in IV, 379. Nam notio „rotae Ixionem per orbem agitantis,“ quam teste Wagnero intulit Iacobus, non inest in verbis Latinis. Quibus ita expositis simplicissima prodit haec sententia: „Vento illi, qui rotam, in cuius orbem alligatus erat Ixion, agitabat, quum sensim sedatior factus esset, tandem constitit rota, i. e. (ubi seposita poetica oratione nudam elicis notionem) „atque adeo sedatus est Ventus ille, qui circumagebat illam rotam, in cuius orbem alligatus erat Ixion.“ Haec unice vera interpretatio consentit cum iis, quae refert scholiastes Eur. Phoen. 1192: *ὀργισθεὶς δὲ ὁ Ζεὺς ὑποπτέρῳ τροχῷ τὸν Ἰξίονα δήσας ἀφῆκε τῷ ἀέρι φέρεσθαι*, consentit cum Horatio, qui in carm. I, 12, 10. inducit Orpheum etiam „morantem celeres ventos,“ consentit cum Antipatro Sidonio, qui (in Iacobsii Del. Epigr. IV, 1, 3.) de Orpheo lamentatur: *οὐκέτι κοιμάσεις ἀνέμων βρόμον*, consentit cum Senec. Herc. Oet. 1069: „haesit non stabilis rota, victo languida turbine,“ consentit cum Stat. Theb. 51: „cur autem avidis Ixiona frango vorticibus?“ consentit denique cum „Ixionis *orbi* rotae alligati *figura*,“ quam Geelius in Eur. Phoen. p. 184 narrat se vidisse in Vergil. Ed. Ven. 1532. fol. 145. Neque dubito, quin aliae eiusdem adumbrationis imagines exstent. Mihi sane quidem unam modo Ixionis delineationem comparare licuit, quae expressa conspicitur in Kaercheri fasc. I. tab. XII, 22.; in hac autem Ixion non aliter repraesentatus est, atque Geelius rem a Veteribus Euripideque cogitatam fuisse exposuit.

IV, 506. Hunc versum Heynius adstipulante Wagnero ab hoc loco alienum putat, quod otiosus sit, et inter graviora, quae antecedunt et sequuntur, interpositum. At non videntur illi nexum huius loci plane perspexisse. Poeta enim ab summo Orphei affectu, ideoque ab concitatiore querelarum descriptione consulto transit ad tranquilliorem narrationem, primum quia Orphei caussam lugendi vivido colore allaturus est. Ob eam caussam in hoc versu usus est imperfecto. Quod Wagnerus huic argumento opponit, tum „hunc“ dicendum fuisse, id tantummodo locum haberet in solutae orationis scriptore. Alia ratio est poetae. Quemadmodum enim hoc loco per pronomen repetitum oppositio indicata est, ita contra per similem iterationem pronominis demonstrativi diversas personas sibi oppositas vides in G. II, 505 et 507. Aen. VII, 473. 474. alibi. Deinde versus de quo agimus additus est, quia poeta graviter finem impositurus est narrationi quae est de ipsa Eurydice, simulque indicaturus, ea quae sequuntur in solius Orphei fatis narrandis versari.

---

*) Nam quod F. Handius in opere illo, ad quod elegantissime componendum Musae Apolline duce suavissimum foedus iunxerunt cum Gratiis, vol. I. p. 152. de pulchri forma in arte musica iure praedicat: „*Beseelt und lebendig erscheint das Schöne, und nirgends wird ein Todtes als solches gefallen,*“ idem in poesin cadere non est quod fusius exponatur.

IV, 520. Quae universa huius loci sententia sit, facile fuit ad perspiciendum, sed nondum satis perspexisse videntur dictionis elegantiam. Nam Heynius, Vossius, Wagnerus, Forbigerus — Ladewigus tacet — interpretantur: „spretae, i. e. quae sperni se ac repudiari putabant.“ At notio „putandi“ in participio minime inest, neque ex linguae ratione inesse potest. Revera spretae sunt Ciconum matres, quia Orpheus cum nulla ex earum filiabus novum matrimonium inire voluisse cogitandus est. Nam participium „spretae“ unice spectat ad vs. 516. Atque verba „quo munere“ delegit poeta ex illa ratione, quam tetigi paucis in IV, 228., nimirum delegit hanc formulam, ut locus aptissime coeat et cum iis quae praecedunt „irrita dona querens“ et cum iis quae sequuntur „inter sacra deum.“ Itaque „quo munere“ non est Ablativus instrumenti, quem esse vulgo opinantur — nam etiam Ladewigus adscripsit: „per hanc amoris significationem“ — sed Ablativus est caussae. Quod ubi sumitur, haec est sententia: „quali munere, i. e. quia Eurydicen abreptam et irrita dona Ditis querebatur.“ Nam propter hos nimios questus matres se sperni viderunt, ideoque „spretae iuvenem discerptum per agros sparsere.“ Inde simul apparet, poetam ex veterum more rem ipsam indicasse (seu obiective locutum esse, uti nostrates logici dicunt), ubi recentiores gentes rei opinionem vel iudicium elocuturi essent (ergo subiectivam notionem ex qua „matres sperni se arbitrabantur, sperni se iudicabant“). Hoc discrimen, quod inter veteres et recentiores populos intercedit, saepe neglectum videmus in commentariis atque grammaticis.

IV, 530. Paullo obscurius dicta sunt, quam ut a tironibus statim intelligantur, haec Ladewigi verba: „Quid ad verba at non Cyrene supplendum sit, elucet ex sequentibus ultro affata timentem,“ quamquam Vossius locum iam dilucide illustravit. Nam grammatice huc quoque referenda sunt praecedentia verba: „se iactu dedit in aequor,“ sed ita referenda, ut tantum sensus respiciatur, ergo „abiit, i. e. reliquit Aristaeum,“ quemadmodum in Hom. Iliad. I, 532. ex verbis εἰς ἅλα ἆλτο ad sequentem versum tantummodo primaria notio formulae illius, i. e. ἔβη, cogitanda est. Ab grammatica huius loci ratione aliena sunt verba „consilii inopem destituit,“ quae a poeta non dicta Heynius atque Wagnerus de suo addiderunt. Cyrene Aristaeum timentem affata est ultro“ (in qua vocula nescio quid reperisse sibi visus est Ladewigus), i. e. non demum precibus excitata similibus, quibus filius matrem supra in vs. 320. sqq. adierat.

Sed haec hactenus. Alia mihi supersunt haud pauca dicenda, inprimis quae ad permultos Aeneidis locos rectius interpretandos in promptu habeo. Quodsi haec, quae currente quasi calamo in chartam coniecta hodie protuli, viris doctis non displicuisse cognovero, eorum, quae in scriniis adhuc reposita servo, edendorum opportunitatem propediem mihi datum iri spero. Interim, benevole lector,

vale. Si quid novisti rectius istis,
Candidus imperti; si non, his utere mecum.